INSTITUTIONUM CANONICARUM
ENCHIRIDION

AD USUM

SEMINARII SEBERENATENSIS

AUCTORE

DEODATO GANINI

ILLUSTRISS.° ET REVERENDISS.° DOMINO

FR. LUDOVICO DE GALLO

SANCTÆ SEVERINÆ ARCHIEPISCOPO

DICATUM.



NEAPOLI,
Apud fratres Raymundi.
1855.

Sciant Sacerdotes Scripturas sanctas et Canones ut omne opus eorum in doctrina et Praedicatione consistat.

Conc. Tolet. IV. cap. XXIV.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino

FR. LUDOVICO DE GALLO

ordinis minorum S. Francisci Cappucinorum

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

SANCTAE SEVERINAE
ARCHIEPISCOPO.

ARCHIDIACONUS DEODATUS GANINI
FELICITATEM.

Libellum hunc subsecivis horis efformatum, in quo Regularum ecclesiasticarum summa continetur libandoque inspicitur, nullis melioribus avibus, Archipraesul am-

*

plissime, iu lucem proditurum putavi quam tui, qui ex Seraphico Instituto ad Metropolitanam hanc regendam, gubernandam Ecclesiam non caeco fortunae arbitrio, sed eximiis meritis, multisque aliis animi praeclaris dotibus jam perspectis, et mature perpensis, Divali Nominatione et Apostolica approbatione praelectus fuisti.

Sane cum in Te admirarentur cuncti tui Ordinis Fratres pietatem, doctrinam, prudentiam, omniumque aliarum virtutum plenitudinem supremum perfectionis gradum attigisse, semel, et iterum Regularem Lucaniae Regionis Administrum pro meliori Seraphici Instituti bono praeposuere.

Quid mirum igitur si Regali, Pontificiaque munificentia tot nominibus laudatissimus, in hac Metropolitana Scberenatensi Ecclesia infulatus effulges?

Jam decennio et ultra tum pastoralibus, paternisque officiis, cum personali praesentia cuncta Archidiaeceseos Loca etiam infima peragrando illam fortunas; et ad Cleri, totiusque commissi Gregis morum reformationem solicitationem tuam impendere non conquiesti.

Illud vero laude perenni dignum, quod nec labori, nec impensis parcens, Seminarium tuum pro Clericorum tam Archidiaeceseos, quam finitimarum Diaecesum majori institutione, et profectu Scholas augendo, literarias exercitationes dilatando, ad politiorem formam redigere omne studium collocasti.

Quid dicam autem de Cathedrali Basilica, obductis undique rimis, tuo plurimo impendio refecta, arte jam Parrhasia multum ornata, et varii praetiosissimi generis Suppellectili, ad sacra solemniter obeunda per te non parum ditata: ex quo decus, splendor, admiratio affatim comparatur.

Quis tandem referre poterit solicitudinem, zelum, charitatem quibus Populum tuae pastorali curae concreditum, tempore quo ingenti terrae concussione VIII. Id. Martii an. 1832. cuncta Archidiaecesis Loca vel solo aequata, vel ruinas minitantia restitere, ferventius subvenisti. Si uberem quotidie, uberrimam tunc pauperibus stipem largiter erogasti: cunctos Archiepiscopalis Mensae reditus pro Tentoriis pri-

mum ad Divini cultus exercitationem erigendis, Ecclesiis inde restaurandis effudisti; et repetito calamo clementissimi Regis nostri Ferdinandi II. munificentiam ad Templa reaedificanda, construendas, aut labantes Ædes reficiendas, Civiumque inopiam sublevandam satius evocasti. Si verba deficiunt, facta memoriae perenniter sculpta satis usque loquuntur.

At si hunc mei rudis ingenii foetum in grati animi tesseram, ex quo tutior esset, sub umbra alarum tuarum submitto: non assentandi studio, sed illud in causa mihi fuit, ut dum graviora Christianae Politiae Theoremata praegustando signarem, aliquam erga dignissimam personam tuam, obsequentis animi mei significationem publice demostrarem.

Ex illa benignitate igitur, qua Illustrissima, et Reverendissima Dominatio tua plurimum pollet, mihi sperare licet, Libellum hunc etsi verbis aliquatenus carentem, turgidum vero juris Canonici praeceptis, a tua comitate commendationem obtenturum; de qua jam securus, fausta omnia a Deo enixe deprecor ad Tui, tuae-

que Archidioeceseos utilitatem. Et dum addictissime pastoralem benedictionem per manus osculum instanter imploro, fas sit ut humiliter dicam: Vale multum, virtutis omnis Illustrissime Antistes, Seberenatensis Ecclesiae decor; vale, aeternumque vale.

Anno CIↃ IↃ CCC XXXIV. Non. Novembr. Sanctae Severinae.

STUDIOSIS TIRONIBUS

MONITUM.

Quod in hoc Opuscolo scriptum aspicitur, non ex Canonistarum sententiis, sed quid quid Conciliorum canones, Pontificum Constitutiones, ac Civitatis Leges praesertim nostrae sedulo strictae observantiae mandarunt selectum brevissime habetur. Nil aliud igitur variatim praestat nisi titulorum, et articulorum specimen, revera tamen Leges commemorat, et breviori verbo Leges continet observandas.

II. *Quamvis Canonici juris fundamentum in ecclesiastica antiquitate splendescit, si nihil de priscis moribus cursu Operis continetur, in causa fuit satis ne Tironum ingenium, qui ad imbibendam Ecclesiastici juris scientiam sedulitatem praestant, superabunde gravetur.*

III. *Cum novissimae ecclesiasticae Politiae praecepta de quibus agitur memoriae primo reddantur, facilius erit inde firmitatem eorum, et sanctitatem in simul ex*

suis fontibus sacris diligenter investigare. Nam quod ab Ecclesiae incunabulis ad Christianae Politiae incrementum, et conservationem sancitum fuerit, si vario soeculorum cursu variatum extiterit, temporum indulgentiae tribuitur; inviolabilis tamen Fidei Catholicae sanctitas, et aeternae salutis objectum neutiquam oblivioni mandata reperiuntur.

IV. *Totum istud Opusculum ad tramites Canonici juris trifariam partitum videtur; Personis scilicet, Rebus, et Judiciis. Prima pars Personas ecclesiasticas, earumque instituta, officia, et ministeria indicit. Secunda Res ecclesiasticas exhibet: inter quas novae Legis Sacramenta, Ecclesiae, Sepulturae, Bona, et ex eisdem exorta ecclesiastica Beneficia complectuntur. Tertia vero Judicia, Delicta, Poenas, et Censuras ecclesiasticas brevissime continet.*

V. *Subsequuntur praeterea Synodi Æcumenicae lapidario stilo singillatim obsignatae tum illae in totum, cum in partem ab Apostolica Sede confirmatae, vel uti Conciliabula penitus rejectae; ex qui-*

bus plenaria, dimidiata, vel reprobata earum auctoritas absque mora clarescit.

VI. *Pro compendiaria demum veteris, et novae Ecclesiae Disciplinae illustratione, ad calcem Operis cum Titulorum serie adnotantur etiam Textus tam canonici, quam civiles, praesertim hujus Regni Nomocanones quibus totius haeret expositio: et ex quibus plene dignoscitur nedum doctrinae veritas, sed quo ardore adimplementum praescribitur. Verum ne citationum interpunctio quid obscuritatis prodeat, modus explicatur, et forma quibus utriusque juris Textus allegantur.*

VII. *In corpore juris Canonici primum locum obtinet Gratiani decretum ex antiquatis, et repetitis Ecclesiae Orientalis, et Occidentalis Canonum Collectionibus conscriptum: quod tribus partibus constat nempe, Distinctionibus, Causis, et Tractatu de* Consecratione *sic dicto.*

VIII. *In prima ejusdem parte citationes fiunt per numeros Canonum, et Distinctionum cum initialibus Canonis verbis, et Distinctionis additione, hoc modo: Can. Consuetudo.* 8. *Dist. VIII. idest Canon.*

8. *cujus initiale verbum est Consuetudo Distinctione VIII.*

IX. *In secunda parte similiter per numeros, et initialia verba Canones citantur, additis Causa, et Quaestione simul numeratis: e. g. Can. Praesenti. 2. C. V. q. 2. scilicet Canon Praesenti 2. Causa quinta, quaestione secunda.*

X. *Tractatus autem de Poenitentia post Causam XXXIII. positus, et in VII. Distinctionibus partitus eodem modo allegatur, prout in prima parte, adjuncto verbo* de Poenitentia*: e. g. Can. Quaerendum. 6. Dist. II. de Poenit. idest Canon Quaerendum. 6. Distinctione II. de Poenitentia.*

XI. *In tertia vero parte sicuti e prima addita voce* de Consecratione : *hoc modo; Can. Placuit* 9. *Dist. III. de Consecr. nempe Canon* Placuit 9. *Distinctione III. de Consecratione.*

XII. *Decretales Gregorii IX. in V. libros distributae per numeros, et initialia Capitulorum verba citantur, Canonici juris Titulo semper expresso sub quo refe-*

runtur: e. g. Cap. Contingit. 8. *de Arbitr. scilicet Caput Contingit* 8. *Titulo de Arbitris; sed aliquando claritatis gratia particula* Extra *supponitur, vel sigla x, aut alia ec. explicando sic quod Caput illud extra Gratiani decretum reperitur.*

XIII. *Bonifacii VIII. Collectio, quae in corpore Canonici juris recensitos V. Decretalium libros sequitur, eodem superiori modo allegatur, addita dumtaxat voce* in Sexto *aut* Siglis *VI. v. g. Cap.* Non est 3. *de Consuet. in VI. h. e. Cap.* Non est 3. *de Consuetudine in Sexto libro Decretalium.*

XIV. *Non absimili forma sequentes citantur Constitutiones Clementis V. aliaeque Joannis XXII. Extravagantes tum* propriae, *cum illae* comunes *dictae, initialia praemittendo Clementinarum, aut Extravagantium verba ad numerum, et Titulum quibus illa Constitutio refertur: hoc modo: Clem.* Ne Romani 2. *de Elect. h. e. Clementina* Ne Romani 2. *Titulo de Electione.*

XV. *Extravagantes vero si inter Comunes habentur pro distinctione illarum,*

quae a Joanne XXII. Sancitae fuere, vox Comunis *additur sub hac forma saepius usitata*: *Extrav. Com.* Etsi 3. *de Praeben*, *scilicet Extravagans Constitutio, quae incipit* Etsi 3. *Titulo de Praebendis inter Comunes*.

XVI. *In hoc Regno insimul nonnulla Pacta conventa ab Apostolica Sede, et Regia Potestate soepius repetita inter Canonicas Sanctiones continebantur, sed jam recesserunt ab usu; actu tamen vigent et juridice citantur Concordata Capitula de anno* 1818. *in quinque supra triginta Articulis septa, rigidaeque observantiae demandata, et ex quibus ecclesiastica Regni Politia praesidium et firmitatem obtinet.*

XVII. *Nonnullae pariter Leges Civiles in hujus Operis decursu aliquatenus allegantur. Sciendum igitur brevius oportet quod sub vocabulo Juris Civilis non aliud intelligitur nisi Jus Romanorum, et Leges Municipales hujus Regni variis temporibus latae. Jurisprudentia Romana per Justinianum Imperatorem, Sexto decurrente Ærae Christianae Soeculo, in tribus Collectionibus distributa videtur: nempe Libris I. Di-*

gestorum, sive Pandectarum: XII. Codicis; et Novellis CLXVIII. sive Authenticis nuncupatis: quibus Libri IV. Civilium Institutionum adjunguntur.

XVIII. *Digestorum, et Codicis Libri in Leges numeratas, cum suis paragraphis, sub Titulis respectivis distinguuntur. Si Lex aliqua Digestorum allegatur litera majuscula D. vel parva duplicata ff. comunius adhibetur, una cum numero, et paragrapho Legis de qua agitur: hoc modo; L. Unius* 28. §. 9. *de Quaestion D. h. e. Lege Unius.* 28. *paragrapho* 9. *Digestis in Titulo de Quaestionibus.*

XIX. *Leges autem Codicis etiam numeratae in suis respectivis Titulis laudantur, ad initiale Legis verbum intercisam vocem* Cod. *adjiciendo: e, g. L.* Placuit 8. *Cod. de Judic. nempe Lege* Placuit 8. *Codice de Judiciis.*

XX. *Si vero aliqua Justiniani Imp. Novella debet allegari, numeri, et caput ejusdem signantur dumtaxat. e. g. Novel. Justin. XCVI. cap. II. scilicet Novella Justiniani XCVI. capite II.*

XXI. *Sed hujus Regni Leges varias juxta temporum vicissitudines obtinuere denominationes. Northmannorum, et Svevorum dominatu Constitutiones audiebantur: Capitula, et Ritus sub Andegavensibus; Pragmaticae autem ab Aragonensibus, Austriacis, et Borboniis Regibus nuncupatae leguntur.*

XXII. *At clar. mem. Rex Ferdinandus I. anno* 1819. *quid quid civiliter, criminaliter, et commercialiter habetur in unum redegit corpus sub nomine Codicis utriusque Siciliae Regni. Totum opus quinquies partitum in Libros, Titulos, Sectiones, et Articulos continuos sectum, semitatumque videtur; Regali expressa jussione anteactas cujusvis generis Leges citra, et ultra Pharum Siciliae Regni nullius esse roboris, et momenti, si ad hujusmodi Codicis tenorem in minimum ex eisdem redolet oppositio.*

XXIII. *Ad praesens igitur in hoc Regno vim Legis obtinent legitimeque citantur hujusmodi Codicis Articuli, et Mandata Regia sub Legum aut Decretorum*

forma pro Juris publici definitione gradatim expedita, et in posterum expedienda.

XXIV. *Etsi demum Leges tam Canonicae quam Civiles varie apud DD. allegantur aliquid commatis soepius omittendo, earumdem vero siglas tantum, numerosque subjiciendo, opere praetium ducitur methodum praeferre, qua citationes in hoc Opusculo contentae sub oculis versantur, et modo quo ad manum a Tironibus, quibus sic labor non parum levatur, facilius habeantur.*

XXV. *Prompto igitur animo his Institutionbus studiosa juventus incumbere satagat. Nam per eas facillime ad majorem sacrorum Canonum perveniet intelligentiam, sicut ex ista nedum ecclesiasticas Regulas et Regni Nomocanones didicerit, sed et non parum utilitas, ac decoris, auxilio favente Divino, Ecclesia insimul obtinebit.*

CANONIC: INSTITUTIONUM

ENCHIRIDION

LIBER PRIMUS

TITULUS PRIMUS

De Juris Canonici natura, et speciebus.

Articulus I. Juris Canonici Institutionibus daturum operam, necessario debet exquiri unde nomen illud accepit, et originem ducit.

2. Dicitur Jus a iustitia: et canonicum quod latine regulam (1) significat.

3. Jus canonicum leges, et instituta Ecclesiae circa fidem, mores, et disciplinam patefacit: fidelium ideo actiones ad finem aeternae beatitudinis dirigit, et ecclesiasticam politiam (2) disponit.

4. Constat Divinae legis praeceptis, Consuetudine, Constitutionibus.

5. Jus Canonicum ratione originis, vel divinum est, vel humanum. Illud Deum: hoc homines habet auctores.

6. Divinum aut per solam rationem hominibus innotescit, et naturale dicitur: aut aperta

Dei voluntate promulgatum, positivum, seu revelatum nuncupatur.

TITULUS II.

De Jure Divino.

7. Jus Divinum in naturale et positivum dividitur.

8. Jus Divinum naturale est lumen rationis de eo quod Deo debemus, nobis, et hominibus.

9. Dicitur Divinum quia Deus est naturae auctor, et recte rationis regula est eius aeterna sapientia; ideoque immutabilis (1).

10. Huius naturalis juris Decalogus est compendium: et omnia veteris Testamenti moralia praecepta sunt eius explicationes.

11. Jus Divinum positivum est quod Deo placuit hominibus praescribere: et in veteri novoque Testamento continetur (2) ac per traditionem Ecclesiae explicatur.

12. Testamentum vetus leges complectitur morales, coeremoniales et iudiciales.

13. Coeremoniales, et iudiciales utpote Judeorum moribus accomodatae morte Christi Domini nostri interciderunt: Morales vero cum ab ipso immutabili naturali iure nil prorsus differant per legem Evangelicam perfectionem, et complementum (3) acceperunt.

14. Praeter ea quae in novo Testamento scripta sunt, plura Christus docuit, quae Apostoli solo verbo Fidelibus tradiderunt; et Patres in Ecclesia saeculorum cursu, ut bonum depositum custodivere; ac suis inde scriptis (4) demandarunt.

15. Nomine traditionis ea designantur, quorum quidem vis tanta est quanta evangelicae veritatis; prout fusius apud Theologos.

TITULUS III.

De Jure humano Ecclesiastico.

16. Jus humanum Ecclesiasticum vel scriptum est, vel non scriptum.

17. Si scriptis conceptum vocatur Constitutio, si non scriptum Consuetudo.

18. Constitutionum nomine veniunt Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, et Sententiae SS. Patrum, de quibus singillatim habetur.

TITULUS IV.

De Conciliis.

19. Concilium graece Synodus, in re ecclesiastica dicitur Conventus rite congregatus catholicorum Episcoporum ad decernendum de causis

ecclesiasticis quoad dogmata, mores, et Ecclesiae (1) disciplinam spectantibus.

20. Concilia sunt Generalia, Dioecesana, Provincialia, et Episcopalia.

21. Generalia auctoritate Summi Pontificis accitis undique ex orbe christiano Episcopis coalescunt sub eiusdem praesidentia, sive per se, sive per Legatos specialiter deputatos; et ad dogmata fidei definienda; corruptos mores Christianorum reformandos, Ecclesiae disciplinam restaurandam (2) celebrantur.

22. Jure Divino ad solos Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, jus suffragii tamquam Judices in Conciliis generalibus (3) pertinet.

23. Jure tamen Ecclesiastico Cardinales sanctae Romanae Ecclesiae, quamvis Episcopali charactere carentes, suffragii, et subscriptionis praerogativam (4) habent.

24. Regularium Ordinum Abates, et Generales ob iurisdictionem quasi episcopalem in subiectos, vocem definitivam post Episcopos pariter (5) obtinet.

25. Canonistae vero, et Theologi tamquam Consiliarii, et honorabiles spectatores, numquam ut iudices, interesse merentur.

26. Dioecesana, sive Nationalia Concilia dicuntur ubi Dioeceseos, sive totius Nationis Episcopi, et Archiepiscopi, sub Patriarchae, vel Exarchae, aut Primatis praesidentia, Summi Ro-

mani Pontificis licentia praecedente, legitime conveniunt pro corrigendis erroribus in diem pullulantibus, ac moribus, et disciplina reformandis, si quando Dioeceseos necessitas probatum iret; (6) sed iure novissimo rariora experiuntur.

27. Provincialia nuncupantur Concilia si una cum Metropolitano, totius provinciae Episcopi (7) coalescunt.

28. Cum Metropolitanus legitimo detineatur impedimento, aut Metropolitana Sedes suo Pastore viduata existat, Episcopus comprovincialis ordinatione antiquior Synodum cogit.

29. In Conciliis provincialibus nedum Episcopi comprovinciales, sed Autocephali Episcopi, ac Abbates, et Praelati Inferiores sic dicti; intra Provinciae orbem positi debent interesse (8) suffragium ferentes.

30. Quid quid ecclesiastica politia reformationis exigit, in Conciliis Provincialibus mature pertractatur, et Sedis Apostolicae auctoritate (9) confirmatur.

31. Episcopalia demum Concilia vocantur Beneficiatorum Conventus, aliorumque Praesbyterorum unius Parochiae, Episcopo Praesidente: in quibus de rebus ad curam Pastoralem pertinentibus tractatur, et deliberatur.

32. Episcopus pro sui muneris exercitatione, obtenta prius juxta hujus Regni politiam Regali licentia, ea indicit, et servata canonici juris formam coalescit, (10) ac celebrat.

33. Praelati inferiores, qui separatam Parochiam, et episcopalem jurisdictionem habent, dummodo expresso Sedis Apostolicae privilegio gaudent, ea pariter expediunt, Regali facultate praecedente.

34. Eodem modo jus est Vicariis Capitularibus Sede Episcopali vacante; dummodo a Synodo per Episcopum celebrata annus sit dilapsus. Vicariis Generalibus non sic, nisi peculiari Episcopi mandato donentur.

35. Ad Synodum Episcopalem Capitulum Cathedralis Ecclesiae, Collegiatarum Canonici, Parochi, Vicarii foranei sic dicti, Abates nedum saeculares, verum etiam Regulares qui Capitulis generalibus non subduntur, aliique Regularium Ordinum Superiores curam animarum exercentes, et Beneficiati omnes totius Parochiae accedere debent.

36. Capitulo majoris Ecclesiae dumtaxat tenetur Episcopus Synodalia Decreta scriptis demandata legere, et patefacere. (11) Reliqui vero interessentes obreptos referunt abusus, consilia praestant, munia iisdem commissa obeunt, et solemni Decretorum publicationi intersunt.

TITULUS V.

De Romanorum Pontificum Decretis.

37. Decreta Pontificia apud Canonum Interpretes vocantur Constitutiones, quibus Summi Pontifices motu proprio aliquid sanciunt (1) obtemperandum.

38. Pontificiae Constitutiones aliae sunt generales, quae universum Catholicum Orbem obligant, uti sunt specialiter omnes dogmaticae.

39. Speciales autem, quae alicujus Regni, Provinciae, aut Ecclesiae politiam in rebus ecclesiasticis reformandam disponunt.

40. Rescripta Pontificia appellantur ea, quae ad lites peculiares spectant, et dicuntur *justitiae*: vel ad Beneficia singulariter obtinenda, aliaque hujusmodi, et *gratiae* (2) nuncupantur.

41. Constitutionis igitur nomen in re ecclesiastica generaliter sumptum Decreta, Decretales Epistolas, Bullas, Brevia, Rescripta continet Pontificia.

TITULUS VI.

De Sanctorum Patrum Sententiis.

42. In definiendis dogmatibus praeceptis, et morum regulis, unanimis SS. Patrum consensus locum pariter obtinet.

43. Deficiente Conciliorum, et Pontificum auctoritate, vel interpretatione, fides debetur illis tamquam catholicae doctrinae testes, et custodes successive (1) Apostolicarum Traditionum.

44. Quae igitur selecta, et in corpore juris Patrum dicta inclusa reperiuntur, magnum robur obtinent; nam Apostolica Sedes suam impertivit auctoritatem: cum sua fecit quae probavit.

TITULUS VII.

De Consuetudinibus.

45. Consuetudo est jus quoddam longaevo institutum usu, quod pro lege suscipitur, dummodo juri Divino, atque bonis moribus (1) non adversatur.

46. Ea est vel generalis, quam universus Christianus Orbis: vel specialis, quam Regio, Provincia, aut aliqua particularis Ecclesia servat.

47. Generalis cujus origo ignoratur, vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Synodis (2) repetenda censetur.

48. Specialis autem est praeter legem, quae jure scripto deficiente pro lege suscipitur: vel contra legem si rationabilis sit quadragenario tempore praescripta, cum scientia tamen, ac legislatoris tolerantia; aut denique secundum legem, si jus scriptum dubium (3) interpretatur.

49. Sub legis nomine id tantum intelligi debet de iis quae Ritus dumtaxat respiciunt, numquam ad mores spectantibus: alias non consuetudo, sed erroris vetustas (4) erit appellanda.

TITULUS VIII.

De Corpore Juris Canonici.

50. Juris Canonici corpus multis codicibus constat.

51. Primum locum obtinet Gratiani Decretum, sive discordantium canonum Concordia sic dicta: opus a Gratiano Monacho privatim editum ex aliquorum generalium, ac particularium Conciliorum decretis, et Sanctorum Patrum dictis congestum, sed usu in Scholis, et ecclesiasticis judiciis (1) receptum.

52. Tres in partes totum opus distributum aspicitur.

PRIMA. Distinctiones CI. in canones seu in capita dispertitas continet.

SECUNDA. Causas XXXVI; cum suis CLXXII. Quaestionibus respectivis amplectitur.

TERTIA vero Tractatum de Consecratione dictum in quinque Distinctiones pariter tributum satis explicat.

53. Singula tamen capita MMMXC. in toto Opere contenta non omnia juris communis habent

vim, sed quodlibet suam primigeniam, unde exordium traxit, auctoritatem firmiter obtinet.

54. Sequuntur Decretales Pontificiae jussu Gregorii Papae Noni collectae, et in quinque libros per materias, et titulos distributae: ubi Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen (2) locum tenent.

55. Inde Sextus Decretalium Liber sic dictus, de mandato Bonifacii Papae Octavi, ex aliis posterioribus Apostolicis Constitutionibus compactus, ac quinque libros, et titulos septem supra septuaginta (3) subdivisus.

56. Adjuguntur Clementinae, seu Constitutiones a Clemente Papa Quinto editae, aliaeque in Concilio Viennensi ab eodem promulgatae, quas Joannes XXII. ejus successor in unum collectas, et in quinque libros, et quinquaginta duos titulos subdivisas (4) publicavit.

57. Exinde multiplices Pontificiae Constitutiones tam Joannis XXII. post editas Clementinas, quam aliorum Pontificum in unum volumen redactae, sub vocabulo Extravagantium comuniter nuncupatum collectae videntur.

58. Subsequitur Bullarium Romanum, sive collectio Decretalium a Divo Leone Magno ad Clementem X. usque Pontifices secundum ordinem temporis disposita in quinque voluminibus partita Laertii, et Angeli Cherubino, ac Joannis Pauli, et Angeli Lantusca opera, et studio, ve-

rum a Summis Pontificibus inde recepta, et adprobata.

59. Praeterea Romanae Cancelleriae Regulae septuaginta duo numero: in quibus generales Beneficiorum reservationes: res judiciales, et Officialium Cancelleriae Apostolicae instructiones continentur.

60. Concordata capitula demum inter Romanos Pontifices, et Gentium Reges conventa.

61. Quae fuere in aliis Regnis inita, non est inquirendum necesse.

62. In hoc Siciliarum Regno, etsi multa vario tempore occurrunt, (5) principem locum hodie obtinent Pacta conventa inter Pium Papam VII. et Ferdinandum Regem I. anno 1818. XII. Kal. Aprilis, quibus Ecclesiasticae Disciplinae consultum satis fuit in XXXV. articulos distributa.

63. Ex hujusmodi rivulis raptim libatis fons costituitur, a quo tota juris Canonici Series effunditur.

TITULUS IX.

De Legum Ecclesiasticarum publicatione, et Regio Placito.

64. Lex nullam vim legis obtinet, nisi post perfectam illus promulgationem.

65. Cum forma promulgandi legem certo jure non sit sancita; ad ejus observantiam vero

tenentur subditi omnes, qui noverint eam solemniter editam aut publice (1) promulgatam.

66. Ut lex rite promulgata post certum temporis intervallum sive majus, sive minus, vim obligationis obtineat, et Legislatoris voluntate (2) pariter publicata dependet.

67. Si quando ratione loci, vel temporis irrationabilis dignoscitur lex, fas subditis erit abolitionem ejus, aut variationem reverenter ab ipso Legislatore enixis praecibus postulare; interim vero submisse, ac fideliter eadem exequi debet, et adimpleri.

68. Pro recta tandem legis ecclesiasticae pnblicatione, et exequutione praecedere debet, etiam Civilis potestatis adsensus, seu Regium Placitum (3) sic dictum.

69. Examen illus Regia auctoritate definitum, ecclesiasticam doctrinam haud offendit: nam versatur circa modum, et adjectas formulas; aut in statuendo aliquid disciplinae Regia jura, vel Regni mores si detrimentum (4) patiantur.

70. Regium Placitum nullam ecclesiasticae potestati injuriam irrogat, imo ecclesiasticis sanctionibus tutamen praestat: et coercitione pariter non jure Sacerdotii, sed Civitatis auctoritate (5) contumaces obstringit.

TITULUS X.

De Jure Personarum.

71. Persona sumitur pro qualitate, et officio quibus unus ab altero distinguitur.

72. In Ecclesia Dei duo sunt summa personarum genera (1) Laicorum, et Clericorum.

73. Laici dicuntur qui nullo ecclesiastico munere fungentes, veluti plebem in ecclesia constituunt.

74. Clerici vero nuncupantur, qui Divino officio, et ministerio mancipati, et in sortem Domini vocati, ab omni temporalium strepitu cessare tenentur; ideoque a laicis jure Divino distincti (2) variis inter se ordine, et officiis differunt.

75. Dividuntur Clerici in Regulares, et Saeculares.

76. Qui religiosam vitam in Claustris profitentur sub obedientia Superiorum Regularium, Regulares dicuntur.

77. Saeculares autem extra Claustra Religiosa degentes, ecclesiasticae politiae obtemperant: et nullis Regularibus votis obstringuntur.

78. Clerici distinguuntur etiam duplici functionum genere, scilicet Sacerdotio, et Ministerio: unde duplex Clericorum ordo superior, et inferior.

79. Sacerdotium in ordine superiori ad Episcopos, et Praesbyteros pertinet. In ordine inferiori ad Diaconos, Hypodiaconos, aliosque in minoribus constitutos Clericos attinet.

80. Ministeria sive officia, in sublimiora, et inferiora dividuntur.

81. Sublimiora sunt quibus jurisdictio, administratio, et animarum cura adnexa conspicitur.

82. Inferiora omni jurisdictione, et administratione carent, sed nuda tantum honoris praerogativa in praecedendo, aut sedendo fruuntur.

83. Cum autem Ordo, non Officium facit Clericum, universos Cleri gradus costituunt.

I. Clerici simplices, qui Tonsuram acceperunt.

II. Ad quatuor minores ordines promoti, uti sunt Ostiarii, Lectores, Exorcistae, Acolythi.

III. In Sacris constituti, nempe Hypodiaconi, Diaconi, Praesbyteri.

IV. Episcopi demum, penes quos est Sacerdotii, et Ministerii pondus, ac momentum universum.

TITULUS XI.

De Romano Pontifice.

84. Summum Principatum in universa totius orbis Ecclesia tenet Romanus Pontifex, Divi Petri Principis Apostolorum in Apostolica Sede Successor (1).

85. Quamvis potestas ordinis Sacerdotalis, et praedicationis munus a Christo Domino nostro, omnibus Apostolis aeque tradita fuere, (2) plenissima vero potestas jurisdictionis, et regiminis illimitata, et suprema, jure Divino, soli Petro collata fuit, tamquam capiti ad unitatem Ecclesiae servandam, (3) cui coeteri subesse debuerunt Apostoli limitatam, subordinatamque potestatem exercentes, ac jurisdictionem.

86. Ratione Primatus Romanus Pontifex Divi Petri successor, et verus in Terris Christi Vicarius totius Catholicae Religionis curam tenet (4) in universo Orbe.

87. Jure igitur fidem tuetur, Canonum observantiam promovet, et ad fidem confirmandam, aut Disciplinam instituendam, vel ex necessitate, et Ecclesiae utilitate variandam Canones, Decreta (5) relaxat.

88. Concilia Generalia indicit: in iis per se, vel per suos Legatos praesidet cum jure relationis, et suffragii, ac confirmationis (6) praerogativa,

89. Ex omni Christiano Orbe appellationes recipit: et in dubiis cum doctrinae, tum disciplinae docet, consulit, et executioni (7) demandat.

90. Plenarias Indulgentias ab Ecclesiae thesauro (8) largitur: Praelatorum postulationes admittit, et Episcoporum translationes, prout Ecclesia utilitas suaserit, pronunciat, eorumque renunciationes, vel resignationes acceptat.

91. Praeter memorata, nonnullae aliae causae inter majores numerantur, et Pontificiae jurisdictioni subsunt.

92. Solius igitur Summi Pontificis est Sedes Episcopales, Archiepiscopales, aut Patriarchales erigere, unire, dismembrare, translatare, ac supprimere: sicut et Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et Patriarchas libere, vel secundum variatas, ubi sint Concordatorum formas creare, eligere, confirmare, ac etiam exauctorare, si Ecclesiae necessitas (9) postulat.

93. Probatos Dei Servos in Sanctorum catalogo adscribere, et solemniter canonizare: Regularium Ordines, eorumque Regulas approbare, et inferiora ecclesiastica Beneficia in nonnullis casibus (10) collationi Apostolicae reservare.

94. Irregularitates demum pro Ordinibus adipiscendis, aut exercendis, vota solemnia jam emissa, poenas, et censuras Ecclesiasticas, ac impedimenta canonica ad matrimonia valide cele-

branda relaxare, immutare, et indulgere; prout necessitas, aut causarum justa ratio suaserit.

95. Merito igitur Romanus Pontifex appellatur Hyerarcha, universalis Episcopus, totius Ecclesiae, omniumque Episcoporum caput, et Catholicae unitatis centrum, Summus Pontifex.

TITULUS XII.

De Cardinalibus.

96. Quamvis olim quaelibet Ecclesia Cardinales proprios, et ordinarios Rectores habuit suos, (1) Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales jure novo eminent dignitate: quum eos Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis recentior Disciplina praetulerit.

97. Cardinalium Collegium Clero Romano suffectum Romanum Pontificem in Regenda universali Ecclesia opera, legationibus, et consiliis suis adjuvat, totius Orbis catholici Senatus, (2) modo Consistorium dicitur.

98. Pontificias igitur vices; viduata Apostolica Sede, supplet sollicitudinem praestat; sicut, et unis Cardinalibus Pontificis electio reservata (3) committitur.

99. Dignitate nedum, sed singularibus privilegiis, et juris dictionibus, ac insimul Insigniis (4) clarescunt Cardinales.

*

100. Ex variis Apostolicis concessionibus, coccineo bireto, galero rubro, panno pariter rubro quo sternerent equos utuntur. Et pro Dignitatis coronide Eminentiae titulum, (5) una cum ecclesiasticis Imperii Germanici Electoribus adhibent.

101. Cardinalium numerus, etsi varia aetate varius, septuagenario nunc firmatus existit: ex quibus sex suburbicariis Episcopatibus, nempe Ostiensi, Portuensi, Sabinensi, Tusculanensi, Praenestinensi, et Albanensi; quinquaginta vero Presbyteralibus Titulis: sicut, et quatuor supra decem Diaconiis adscripti et titulati (6) in alma Urbe reperiuntur.

TITULUS XIII.

De Patriarchis.

102. Patriarchae vocabulum etsi apud Haebreos vetustissimum, (1) in re tamen Ecclesiastica dicitur Episcopus ille qui toti Dioecesi praeest, sive nonnullis inter se conjunctis Provinciis (2) et tamquam Patrum Princeps habetur.

103. Ad ipsum igitur jure patriarchali pertinet Synodum Diocesanam indicere, eique praeesse: Metropolitanos totius Dioecesis ordinare; et ab eorumdem definitivis decretis, aut vim habentibus definitivi appellationem (3) admittere.

104. In Metropolitas pariter, iisque cessantibus in suffraganeos Episcopos animadvertere; et in magni momenti ecclesiasticis negotiis iisdem Metropolitanis consulere.

105. Pontificia decreta intra Dioecesis orbem pro exacto adimplemento committere: et ob praeeminentiam qua pollet elatam Crucem ubique deferre, praeterquam Romae, vel ubi Papa, aut a latere Legatus (4) adesset.

106. Quamvis unus ab altero Patriarchae non dependent, excipitur tamen suprema Romana Sedes, cui cujuscumque gradus subsunt Episcopi vigore Primatus eidem jure Divino largiti, ad unitatem in Ecclesia fovendam, et confirmandam, ejusdemque visibile caput exhibendum.

107. Adolescentis Ecclesiae temporibus Patriarchatus quinque numerabantur (5) Romanus per totum Occidentem; in Oriente vero Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolimitanus.

108. Patriarchalibus Ecclesiis jam dictis aliae posteriori aevo additae sunt Aquilejensis, Venetiarum, et Ulyssiponensis (6) quas omnes Titulares nunc potius dici honoris gratia, quam revera Patriarchalia jura modo valeant exercere.

TITULUS XIV.

De Primatibus.

109. A Patriarchis jam dictis differunt Primates, qui etsi praesunt pluribus Provinciis, Romano Pontifici tamquam Patriarchae remanent subjecti: qua de re in Occidente dumtaxat (1) aduc instituti reperiuntur.

110. Ne quidquam de Sedis Apostolicae jurisdictione, et potestate imminuatur, attenta nonnullorum Regnorum varietate in principalioribus eorum Civitatibus Primates exorti videntur: uti medii inter Metropolitanos, et Pontificem Occidentis (2) Patriarcham.

111. In Hispania igitur tres leguntur Primates instituti Hispalensis, Bracharensis, (3) et Toletanus.

112. In Gallia Arelatensis, Viennensis, Rehemensis, Metensis, Senonensis, Bituricensis, et Lugdunensis.

113. In Italia vero Ravennatensis, Pisanus, Barensis, (4) et Salernitanus.

114. Qui omnes jure novissimo sunt titulo tenus dumtaxat honoris praerogativa gaudentes, Lugdunensi excepto, qui tamquam Galliarum Primas appellationis jura in Metropolitanorum illius Regni sententiis, juris ordine servato, adhuc exercet.

TITULUS XV.

De Metropolitanis.

115. Ex Episcopis qui principali alicujus Provinciae, Civitati praesunt eisque Comprovinciales subsunt Episcopi, Metropolitae vocantur, (1) ideoque nonnullis juribus fruuntur, et privilegiis.

116. Illi vero qui nec subjectos habent ullos Episcopos, nec Metropolitano subsunt praeterquam Romano Pontifici, strictiori appellatione Archiepiscopi, graece Autocephali dicuntur.

117. Ad Metropolitanos igitur pertinet Concilia Provincialia convocare, ibique praesidere: et quidquid ab ecclesiastica Disciplina devium (2) una cum Suffraganeis Episcopis, a suffragio ferendo sic dictis, corrigere, (3) et emendare.

118. Consecrationibus comprovincialium Episcoporum ex Apostolica delegatione operam dare (4) et totius Provinciae visitationem explere; prout novissimo jure sancitum (5) reperitur.

119. Ex jurisdictionibus ab aevo Metropolitanis jam concessis, appellationis jus in omnibus Provinciae Parochiis, dummodo sit adeffinitiva sententia, vel interlocutoria vim habente diffinitivae (6) ipsi ordinariam exercent auctoritatem.

120. Eodem jure deputationem Vicarii Capitularis perficiunt: (7) sicut et Beneficiorum ecclesiasticorum devolutiones admittunt, si extra

modum, et tempus a jure praescripta, per Comprovinciales, aut Suffraganearum Cathedralium Capitula executioni mandentur, pro negligentia Vocalium aut Collatorum supplenda, (8) vel malitia corrigenda.

121. Merito igitur a Romano Pontifice Pallio decorantur in signum Officii sollicitudinis, et ampliatae jurisdictionis: ita ut nec ante ejus impetrationem, quisquam Archiepiscopali munere (9) fungi minimum possit.

122. Honoris causa crucem ante se in quocunque totius Provinciae Metropolitanae loco etiam exempto efferunt elatam: populo benedicunt, et Pontificalibus utuntur vestibus; (10) ordinariis autem Episcoporum Suffraganeorum functionibus semper salvis.

TITULUS XVI.

De Episcopis.

123. Christiani Sacerdotii plenitudo (1) in Episcopatu continetur.

124. Ecclesia a Christo Domino in terris fundata, eam ipse commendatam Apostolis voluit, eorumque Successoribus Episcopis ad Saeculi consumationem usque; salvo semper Romani Pontificis Primatu ab ipso Servatore (2) concesso.

125. Episcopalis potestas distingui debet in iis, quae sunt ordinis, et quae sunt jurisdictionis.

126. Ordinis potestate omnium Sacramentorum ordinarius minister est Episcopus.

127. Etsi Presbyteris tradita sit facultas in Ordinatione Sacramenta ministrandi, sacros tamen Ordines soli conferunt Episcopi: sicut, et Confirmationis Sacramentum vi characteris episcopalis, ac jure proprio administrat; (3) Presbyteri vero nonnisi hoc, ex Pontificia speciali delegatione dumtaxat.

128. Ab eadem Ordinis potestate promanant Chrismatis, et Olei Sancti confectio: Ecclesiarum, et Altarium consecratio: calicum, et campanarum benedictio: Abatum, Regumque inunctio ac Sanctimonialium Virginum (4) sacra velatio.

129. Jurisdictionis autem potestas summatim continetur in docendo, jubendo, judicando, corrigendo, et ministrando.

130. Episcoporum igitur manus est apud Ecclesias sponsas suas firmiter residere: verbum Dei tum scriptum, cum traditum explicare, et docere: Decreta proferre, quibus populi sibi concrediti mores, sacrorum Ministrorum officia, et Ecclesiae ritus (5) diriguntur.

131. Causas omnes ecclesiasticas tam in judicio, quam extra cognoscere, et definire. Peccatores totam Paroeciam annuatim lustrando monitis, salutari poenitentia corrigere; contumaces vero canonicis poenis, (6) ad emendationem coercere.

132. Ecclesiastica Beneficia conferre : officia Clericalia elargiri : Ecclesiae bona procurare; reditus, et proventus, ad tramites canonici juris, (7) dispensare.

133. In aliquibus autem causis, praesertim Regularium exemptione, et Monialium clausura, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, ex pluribus Concilii Tridentini decretis, Pontificiisque costitutionibus (8) delegatam exercent potestatem.

134. Quae omnia intra uniuscujusque Paroeciae orbem explere debent Episcopi : in alienis tamen Ecclesiis quidquam moliri prohibentur.

135. Verum cum Episcopatus unus sit, cujus singuli insortem, et in solidum partem tenent, quando urgens Ecclesiae necessitas postulaverit, Episcopi ubique evangelizare, et episcopalia munia executioni tradere (9) non detinentur.

TITULUS XVII.

De Electione.

136. Electio jure canonico dicitur ordinaria idoneae personae comunibus suffragiis nuncupatio, ad Dignitates, aut Ecclesiastica Beneficia, vel Officia obtinenda.

137. Electio una solemnis est, et ad majores Dignitas spectat. Minus solemnis altera, quae ab uno superiore, vel Collegio perficitur: et col-

latio potius dici debet; de qua in Tit: de Beneficiis sermo fusius habebitur.

138. Episcoporum igitur solmnis electio, Ecclesia jam viduata, tribus modis celebratur: (1) per scrutinium, per Compromissum, et per Inspirationem.

139. Per scrutinium electio erit celebranda, vocatis, et praesentibus omnibus, qui debent, volunt, et possunt commode interesse.

140. Tres inde de Collegio fidedigni canonice electi secrete, et singillatim cunctorum vocalium vota diligenter una cum Praesidente, exquirunt, ac in scriptis redacta patefaciunt, ut is in quem omnes, vel major et sanior pars Capituli (2) consentit, eligatur.

141. Per Compromissum celebratur electio, quando eligendi potestas, ab omnibus vocalibus, nemine excepto, aliquibus idoneis viris committitur, ut iis omnium Electorum vice Ecclesiae viduatae de legittimo Pastore (3) provideant.

142. Per inspirationem tandem si omnia suffragia, nullo praecedente tractatu, quasi Divino afflante Spiritu; simul in unum repente conveniunt.

143. Etsi priscis Ærae Christianae Saeculis nonnulli Episcopi hac forma electi leguntur, jam ea recessit ab usu, ne aditus tumultuosis electionibus aperiatur.

144. Cum Episcoporum electio jure novissimo inter majores causas recensetur, ad summum

Pontificem spectat quid quid active, passive, operative, circa Electores, Electos, et modum in ea (4) continetur; servata forma Indultorum, sive Concordatorum uniuscuisque catholicae Regionis.

145. In hoc Siciliarum Regno etsi variatam disciplinam, electio ista, variis temporibus obtinuit (5) vigore demum Apostolici indulti incipientis *Sinceritas Fidei* Non: Martii 1818. jam expediti concessa fuit in perpetuum nominandi facultas Sacrae Regiae Majestati, ejusque descendentibus in Regno catholicis Successoribus, idoneos ecclesiasticos viros per Romanos Pontifices promovendos, ad omnes illas Episcopales, et Archiepiscopoles Ecclesias utriusque Siciliae Regni, ad quas nominandi jure sive ex Patronatu, sive ex Apostolica concesione (6) nondum gaudebat.

146. Personis autem Regia nominatione selectis, et a Romano Pontifice confirmatis, firma restat obligatio ea omnia in ordine ad eorum consecrationem, et canonicam institutionem obtinendas; erga Sedem Apostolicam adimplendi; (7) ad quae de jure, et consuetudine tenentur: prout in more jampridem positum fuit.

147. Eodem novissimo jure Episcoporum confirmatio nedum ubique gentium ad Romanum Pontificem pertinet, sed et eorum translatio, renunciatio, ac depositio; aeque pariter erectio, unio, disjunctio, ac episcopalium Ecclesiarum suppressio; (8) jure Primatus in universo catho-

lico Orbe, Patriarcatus per Occidentem, Metropolitica vero auctoritate intra Suburbicariarum Regionum Orbem; in reliquis autem absque ullo praejudicio cunctorum Archiepiscoporum, quos ab aevo, ecclesiastica Disciplina, ad majus Ecclesiae bonum instituere non praetermisit.

TITULUS XVIII.

De Legatis, et Nunciis Pontificiis.

148. Legatus idem sonat (1) quod et Missus.

149. Quamvis antiquitus cunctae Ecclesiae legationibus fungebantur, jure novo ii proprie dicuntur Legati, qui a Romano Pontifice ad ecclesiastica tractanda negotia (2) diriguntur.

150. Duplicis generis sunt Legati. Alii propter aliquod negotium mittuntur, et cum ipso eorum munus absolvitur. Alii vero assiduam ducentes moram apud Principes cuncta exequuntur negotia, et Nuncii Apostolici vocantur.

151. Ex iisdem sunt qui nuncupantur Nati: aliique Facti, sive Missi.

152. Nati sunt illi, qui Ecclesias obtinent, quibus Sedis Apostolicae legatio, ordinario jure, exercenda perpetuo concessa fuit.

153. Facti, seu Missi vocitantur, quoties personalem, et temporariam ab Apostolica Sede (3) Legationem recipiunt.

154. Nati sic dicti generalem exercentes Legationem, ordinaria utuntur jurisdictione: prout canonicum jus officio Legati (4) concedit.

155. Missi vero, sive facti, ex tenore Apostolicarum literarum extraordinariam exercent auctoritatem, quae non ultra Pontificii mandati fines extendi debet, literas ostendendo pro habenda fide in munere (5) obeundo.

156. Ex Missis, si de Cardinalium collegio habentur Legati, majori potestate aucti, a *latere* dici consueverunt: ne Legati ex Cardinalium coetu, ob eorum dignitatem, cum aliis Legatis confunderentur.

157. Vigore Decretalium non omnes Legati aequalem obtinent potestatem: Legati a Latere majorem: minorem Missi; minimam Nati, secundum jus, et ex tenore Brevium (6) comparandam.

158. Inter Pontificias Legationes autem eminet illa Regum Siciliae ultra Pharum, quam Augustissimus Rex noster haereditario exercet jure ex concessione Urbani Papa II. Rogerio Calabriae, et Siciliae Comiti, ejusque successoribus habita, et sub vocabulo Monarchiae, per Trinacriam Insulam (7) debitae executioni mandatur.

159. Hoc demum erit studii, et sollicitudinis Legatorum, ut tales se in iis quae injunguntur exhibeant, ut fidem, integritatemque ejus cujus curam potestatemque suscipiunt (8) imitentur.

TITULUS XIX.

De Praelatis Inferioribus.

160. Triplex est Praelatorum genus Episcopis inferiorum.

161. Qui ordinariam, et quasi episcopalem jurisdictionem in Clerum, et Populum habent cum Territorio separato, et ab alia episcopali Parochia avulso, in primo versantur genere: ideoque Praelati *Nullius* dicuntur, et sub nomine Ordinariorum (1) a jure comprehenduntur.

162. Alterum genus complectitur eos, qui sine Territorio separato in Clerum, et Populum alicujus Ecclesiae, vel Loci, intra episcopalem Parochiam siti, ab eaque circumscripti, et ab illius Episcopo exempti jurisdictionem (2) exercent.

163. Ad tertium pertinent genus illi, qui certis personis, intra alicujus Monasterii, Conventus, aut Ecclesiae septa degentibus praesunt, cum passiva exemptione dumtaxat ab Episcopi jurisdictione: quales snnt Superiores Regulares, et quidam saecularium Ecclesiarum Rectores, (3) Apostolicae Sedi immediate subjecti.

164. Primi generis Praelati, uti Ordinarii in suo separato Territorio ordinis et episcopalis characteris potestate excepta, omni fere jurisdictione episcopali patiuntur.

165. Cognoscunt igitur causas omnes ad forum ecclesiasticum spectantes, etiam beneficiales:

matrimoniales non sic, nisi de licentia, aut delegatione Apostolicae (4) Sedis.

166. Ex Tridentini decretis, et Apostolicis indultis minores Ordines conferendi, Ecclesias sibi subjectas visitandi Synodos convocandi, ornamentis Pontificalibus vestiendi, aliasque quasi Episcopales functiones exercendi perpetuo, vel ad tempus, ratione dignitatis, loci, aut personae; licentiam et facultatem plus minusve, (5) obtinent.

167. Novissimo tamen jure, Apostolicisque constitutionibus vario tempore latis generaliter; aut singulatim modo concessae, vel estensae, et quando sublatae jurisdictiones, et praerogativae inferioribus primi, et secundi generis Praelatis (6) saepius inveniuntur.

168. In hoc Regno, etsi nonnullae Praelaturae, Commendae, et Abatiae Nullius priscis ab hinc temporibus habebantur XLIV. numero fundatae, et erectae, ex Pactis novissime concordatis suppressae remanserunt, et finitimis episcopalibus Parochiis extintive adjunctae, et adnexae, Abatiis Consistorialibus annui reditus summam ducatorum quingentorum ultra, et Ordinum militarium Commendis (7) expresse reservatis.

169. Excipiuntur etiam Abatiae nuncupatae montis Casinen, Santissimae Trinitatis Caven, et montis Virginis Ordinis S. Benedicti: nec non Archipresbyteratus Petelinus, seu Altamuranus, et Prioratus Divi Nicolai Barensis: quibus ju-

risdictiones jura, ac privilegia canonice legitimaeque acquisita, modo conservata (8) subsistunt.

TITULUS XX.

De Judicibus Ordinariis,

Delegatis, ac Synodalibus, et Conservatoribus.

170. Judices vel jure suo, vel alieno beneficio quasi jus dicentes populo, judicandi potestatem habent; ideoque ordinarios inter, et delegatos Judices oritur (1) discrimen.

171. Ordinarii Judices sive Magistratus sunt illi qui jure proprio judicandi potestatem habent, cum adnexa jurisdictione ratione dignitatis, vel officii quibus gaudent: unde Nativi dicuntur, et sine alicujus mandato legitimam in jure dicundo (2) facultatem obtinent.

172. Isti pariter ratione domicilii, delicti, contractus aut rei de qua contenditur jus dicunt (3) et Judices nuncupantur.

173. Delegati seu Dativi sunt, qui non habent jurisdictionem vi propriae dignitatis, aut officii in re de qua agitur, sed eam exercent ex alterius commissione sive limitata, ad unam pluresque causas, aut ad universas, Magistratus vice (4) cum misto imperio definiendas.

174. Secundum juris canonici sanctiones ordinarii causarum ecclesiasticarum Judices sunt

Episcopi in suis Parochiis: aeque ac primi ordinis Praelati inferiores in Locis suis exemptis.

175. Eodem modo intra metropoliticam Provinciam Metropolitani: Primates, et Patriarchae, per Dioecesim; in supremo tandem Romanus Pontifex tamquam Ordinarius Ordinariorum in toto terrarum orbe: sicut et Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater est, (5) et magistra.

176. Quisque autem ex iis jurisdictionem suam sive contensiosam, sive voluntariam aliis delegare potest: nam qui per alios facit per seipsum (6) facere videtur.

177. Delegatus vero alteri delegandi facultatem non habet, Delegato Pontificis excepto, nisi personae industria erit electa (7) et deputata.

178. Inter Judices delegatos adnotatur ii, qui aliqua Dignitate, Personatu, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicatu praediti in Provincialibus, aut Episcopalibus Comitiis deliguntur; ideoque Judices Synodales (8) vulgo appellantur.

179. Iis tantum, Ordinariisque Locorum per Apostolicam Sedem, aut Legatos, vel Nuncios Pontificios committuntur causae in partibus judicandae: alioquin subreptitiae, et irritae censentur Literae commissoriae, si aliis, quam illis directae videntur, et executae.

180. In Delegatorum coetu demum adscribuntur Judices Conservatores sic appellati.

181. Eorum munus nomen ipsum ostendit. Ab omnibus igitur violentiis, et injuriis manifestis bona, jura, privilegia Exemptorum Sedi Apostolicae subjectorum tueri, servare, custodire, tenentur; absque tamen judiciaria causarum cognitione, sed mandatae conservationis, ad terminos juris (9) modo, et forma servatis.

182. Non alii quam Episcopi, Abates, cathedralium Canonici, et Personatus ad Conservatoris officium deputentur. Ipsi vero alios subdelegare non possunt, nisi in literis delegationis id expresse (10) fuerit statutum.

TITULUS XXI.

De Vicariis Generalibus.

183. Quicumque dignitatem aliquam misto imperio praeditam legitime possident, iis muneris sui Adjutorem habere posse (1) jura concedunt.

184. Episcopi igitur jure proprio, generali commissione jurisdictionem suam sive contensiosam sive voluntariam Vicario, aut Officiali sic dicto per totius Episcopalis Parochiae orbem mandare (2) consuescunt.

185. Ecclesiasticae Dignitatis vigore dicto Officio adnexae Apostolicas delegationes Vicarius Generalis nominatim exequitur: (3) in Synodis, Processionibus, et Choro cunctos praecedit Canonicos, et Dignitates non paratos; si vero inter

illos cooptatus, et distributiones lucrari vellet, veste canonicali indutus, in suo stallo, et loco, juxta possessionis ansianitatem (4) sederet et incedere debet.

186. Quando generali commissione Vicariatus officio potitur, potius ordinariam, quam delegatam jurisdictionem exercere dici debet; ideoque causas omnes ad forum Episcopale pertinentes cognoscit, judicat, et executioni (5) tradere mandat.

187. Nonnulla vero ex Officii generali commissione Vicario Episcopi exercenda prohibentur.

188. Sine speciali mandato literis Patentalibus signato, causas criminales, matrimoniales, illasque soli Episcopo delegatas cognoscere (6) haud potest.

189. Beneficia liberae collationis minime confert: nec assensum in iis erigendis, uniendis, permutandis, supprimendis praestat (7) a Patronis vero praesentatos instituit, ac de pertinentia, et quasi possessione juris patronatus (8) cognoscit, et judicat.

190. Parochiam tandem episcopalem visitare, Synodum congregare, Literas dimissoriales pro suscipiendis ordinibus, dummodo Episcopus in longinquis moram agit concedere, alieno Episcopo Pontificalia exercenda permittere, a casibus Episcopo reservatis absolvere, aut ab iis absolvendi facultatem largiri, sine speciali Episcopi mandato, Vicario Generali (9) manet interdi-

ctum ; iis vero quae dignitatis, et ordinis sunt Episcopalis semper exclusis, et exceptis.

191. Qui ad Vicarii Generalis munus eligitur saltem prima tonsura initiatum esse oportet : conjugatis, aut digamis Clericis (10) omnino semper arcendis.

192. Originarios itidem Episcopalis Parochiae Canonicos, et Dignitates, praesertim Poenitentiarios cunctosque animarum Curatores, ac Canonum omnes imperitos Vicarii Generalis officium haud exercere (11) ab utroque jure sancitum reperitur.

193. Nonnullis autem Ecclesiasticis in Episcopalis Parochiae Oppidis degentibus, aliquantulum jurisdictionis demandare solent Episcopi: ideoque Vicarii Foranei (12) vulgo nuncupantur.

194. Nulla dignitate gaudentes Apostolicarum delegationum expertes isti videntur : imo eis eamque ob rem nec praecedentia in choro, processionibus nec alia hujusmodi praerogativa debetur.

195. Demandati muneris partes saepius videntur testes super sponsarum canonica libertate examinare : informationes jam expeditas ad forum Episcopale transmittere : decreta, edicta, ordinationes, mandata Episcopalia pubblicare, et fideliter executioni tradere.

196. Episcopo demum renunciare tenentur Clericorum mores si qui contumaces sunt, et qua industria quisque eorum Divinum opus exer-

cet; ac ea omnia pariter adimplere, quae in mandatis accepta pro Episcopi voluntate obtinebunt.

TITULUS XXII.

De Canonicis.

197. Etsi antiquitus Clerici secundum canones duce Episcopo viventes, dicebantur Canonici, nomen proprium posthac factum dumtaxat Clericis, qui sub Episcopo, (1) et directione constituti Praepositi, peculiaribus juribus gaudent, Cathedrali Ecclesiae inserviunt, et de totius Parochiae episcopalis regimine participant.

198. Eorum Collegium igitur unum corpus cum Episcopo componens, Senatus Ecclesiae dicitur, et haud immerito Capitulum (2) nuncupatur.

199. Dignitatibus, et Canonicis Capitulum constat: qui omnes in tres ordines Presbyterorum, Diaconorum, et Hypodiaconorum distribui oportet: aut dimidia saltem pars eorum sint Presbyteri; nisi omnes esse Presbyteros (3) laudabilis introduxerit consuetudo.

200. Duos intra menses a die assecutae possessionis sive Canonici, sive Dignitates tenentur omnes Fidei orthodoxae professionem emittere, coram Episcopo, aut ejus Generali Vicario; et

Capitulo pariter legitime congregato, alioquin fructus (4) non faciunt suos.

201. Primam vero adeptus Dignitatem antequam possessionem obtinebit, catholicam fidem, juxta articulos a Sede Apostolica propositos, in manibus Episcopi, aut ejus Generalis Vicarii cogitur praestare, illamque sic emissam ad dictam Sedem cum sui, et Episcopi, vel Vicarii subscriptionibus, sub caducitatis poena eo ipso Dignitatis praedictae (5) trasmittere tenetur.

202. Capituli Dignitates Canonicis praecellunt, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam institutae: et qui eisdem potiuntur nedum pietate, et doctrina aliis praeire, sed Episcopos opera, et consilio coadjuvare debent.

203. Tales sunt Archidiaconi, qui oculi Episcoporum, et eorumdem Vicarii nati (6) in temporalibus dicuntur: sicut, et urbani Archipresbyteri in spiritualibus, Decani saepius nuncupati a jure vocantur; (7) nec non Cantores, Thesaurarii, Primicerii, et similes.

204. Variant autem numero, et nomine secundum cathedralium Ecclesiarum instituta, eorumque jurisdictio jure novissimo ferme defecit, quin praeter locum in Choro digniorem, et muneris exercitationem eisdem respective addicti, nil aliud obtinent: unde ventosae, et inanes modo reputantur.

205. Canonici vero in mero officio constituti reperiuntur, vel unicuique proprio ordinis, et

suae praebendae ministerio fungentes, vel omnibus Canonicis comune.

206. Ad Canonicatus igitur obtinendos si in Collegiatis Ecclesiis quatuordecim annorum aetas sufficit: in Catedralibus autem non minus anni duo supra viginti. Sed pro curatis dignitatibus assequendis anni viginti quinque saltem incepti; de cunctis aliis Dignitatibus animarum cura destitutis, viginti duo anni omnino (8) requiruntur.

207. Apud nos vero pro eorumdem investitione, si Canonicatus, et Dignitates in Capitulis tam Cathedralibus, quam Collegiatis liberae sint collationis, sex primis anni mensibus a Sancta Sede conferentur: aliis autem sex mensibus ab Episcopis; prima dignitate semper excepta, quae si de jure patronatus non erit, liberae collationis Pontificiae (9) quocumque tempore habebitur.

208. Omnes de Capitulo tenentur quotidie, vel alternis hebdomadis in Choro ad horarum Canonicarum recitationem, missa conventuali haud excepta, ac reliqua Divina officia reverenter, distincte, devoteque (10) persolvere.

209. Ut sacrum pensum ad omnibus Choro addictis rite adimpleatur Distributiones quotidianae (11) fuerunt institutae.

210. Dicuntur sic quaedam specierum, aut pecuniae prestationes ex Ecclesiae reditibus provenientes statis Canonicis horis addictae, qua solis active Choro, et Ecclesiae interessentibus tribuuntur.

211. Pro recta earumdem Distributionum perceptione quid quid impositum, sancitumque fuerit, ex variis juris dispositionibus (12) late, abundeque patet.

212. Ut muneri suo Canonici satisfacere possint, in suis Ecclesiis immorari debent. Permittitur tamen non ultra tres menses ex propria Ecclesia quolibet anno abesse: praesertim si christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas (13) notorie suaserit.

213. Absentes autem ex justis causis Praebendarum fructus percipiunt tantum: Distributiones nequaquam, nisi infirmitas, aut propriae Ecclesiae actuale servitium interessantiam (14) abigunt.

214. Negotia tandem ad Capitulum spectantia per Canonicos collegiatim congregatos in Aula Capitulari expedienda erunt, sub praesidentia primae Dignitatis, vel gradatim eidem succedentis.

215. Si vero aliquid momentosum proponitur, per secreta semper suffragia majoris, et sanioris partis Canonicorum acceptandum concluditur negotium, (15) vel reprobandum.

TITULUS XXIII.

De iis quae fiunt a Capitulo fierique prohibentur.

216. Presbyterio antiquitus constituto Capitulum Cathedralis Ecclesiae jure novo successit: cum quo Episcopus graviora suae Ecclesiae negotia peragebat; adhuc tamen pro rerum varietate debent Episcopi quando consilium; quandoque consensum (1) Capitulorum exquirere.

217. Quoad consilium sat est, ut illud exquirant quum non obligat: consensum vero exquirere, et sequi tenentur.

218. Ita igitur in omnibus quae ad comune Episcopalis Parochiae bonum tendunt plurima negotia ab Episcopi voluntate, judicioque pendent pauciora consilium, nonnulla Capituli consensum requirunt omnino.

219. Consilium exquiritur in Beneficiorum collationibus, et destitutionibus; Clericorum ordinationibus, eorumque inquisitionibus, et condemnationibus: in edicendis, dirigendisque Processionibus, ac Constitutionibus Synodalibus publicandis, aliisque arduis ad mentem Episcopi negotiis; ut merito Ecclesiae Senatus, Capitulum (2) dici poterit.

220. Capituli tamen consensu scrutari debent erectiones, uniones, suppressiones Beneficiorum, bonorum, juriumque ecclesiasticorum alie-

nationes nedum, sed ad minimum etiam diminutiones; ac omnia demum quae praejudicium Ecclesiae conferunt, aut Ecclesiae auctoritati detrimentum aliquod (3) largiuntur.

221. Sed Cathedra Episcopali vacante summa est Capituli majoris Ecclesiae potestas, et jurisdictio. Nam eo tempore non aliquid illi noviter accedit, sed jure non decrescendi originaria Praesbyterii auctoritas in eo expeditur, et debitae executioni per ipsum demandatur.

222. Capitulum igitur, Sede Episcopali vacante, in omnem Episcopi ordinariam jurisdictionem voluntariam, et contentiosam succedit: (4) nisi reperiatur aliquid a jure expresse prohibitum.

223. Non succedit autem in Episcopi jurisdictione specialiter delegata: ac etiam ex generali Sedis Apostolicae delegatione; secus vero, si utroque jure competit Episcopo procedendi facultas, Pontificia auctoritate.

224. Nonnulla tamen prohibentur Sede Episcopali vacante per Capitulum exercenda.

225. Excluduntur ea omnia, quae Ordinem Episcopalem respiciunt: quamvis exteris Episcopis Pontificalia explicanda (5) committit.

226. Nihil id temporis innovare: jura Episcopalia diminuere: Beneficia, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet conferre; (6) neque intra annum luctus Ecclesiae, pro suscipiendis Ordinibus, nisi artatis ratione Beneficii Litte-

ras dimissoriales, (7) seu Reverendas dictas concedere.

227. Jure vero Concordatorum apud nos infra annum a Sede vacante, cum consensu pleni Capituli per secreta suffragia impartiendi Dimissoriae conceduntur duntaxat laicis clericali Tonsura initiandis pro alicujus jure fundationis, artata Beneficii, vel ecclesiasticae Capellaniae institutione.

228. Pro Clericis ad ecclesiasticum Beneficium quod actu requirit certum Ordinem rite, legitimeque praesentatis, Dimissoriae itidem largiuntur; quibuscumque vero non artatis, nec etiam post annum luctus Ecclesiae, sine Sacrae Congregationis Concilii expressa licentia Literas dimissoriales ad Ordines conferendos, (8) licet expedire.

229. Sed cum hujusmodi ordinaria potestas et jurisdictio segnius per plures expediri videbatur, jure novissimo cautum fuit; ut Capitulum viduatae majoris Ecclesiae, infra dies octo post Ecclesiae viduitatem, Officialem, seu Vicarium constituere, vel existentem confirmare (9) omnino teneatur.

230. Qua de re Canonici electores rite, legitimeque in Aula capitulari congregati, non quisque pro se, sed pro idoneo Vicario eligendo de Capituli gremio, aut extra gremium utique, vota sua secundum canonicas dispositiones (10) proferre fideliter debent.

231. Electus autem in quem major, et sanior Votantium pars consenserit Doctor sit, vel licentiatus in Jure Canonico, vel alias quantum fieri poterit idoneus: alioquin deficientibus iis ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.

232. Sed si Ecclesia viduata Metropolitana fuerit, aut Exempta, et Capitulum negligens evaserit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in Exempta, Vicarium idoneum (11) constituere tenentur.

233. In Vicarium igitur sic legitime electum et deputatum, absque ullo speciali mandato omnis Capituli potestas adeo transfertur toto Ecclesiae viduitatis tempore ut nulla reservatione limitari, vel conditione suspendi, aut comuni dissensu revocari, vel removeri ad minimum valeat; (12) nisi per Sac. Congregationem Episcoporum cognita causa aliud dispositum, judicatumque fuerit.

TITULUS XXIV.

De Parochis, et Oppidanis Archipresbyteris.

234. Presbyteri, quibus priscis Ærae christianae saeculis Baptismi, Poenitentiae, Eucaristiae, Divinique verbi ministerium committebatur, (1) Parochi, quia Sacra praebent, et fixum in Vicis incolatum ducunt, modo nuncupantur

235. Ab Episcopi voluntate pendebant olim omnia parochialia munia: sed (2) stata sensim, et communia facta sunt: ita ut, qui animarum curam susceperit, liberam ea peragendi facultatem obtinet; nec limitare, suspendere, auferre, nisi ex legitima causa probata queit illi (3) Episcopus.

236. Tria enumerantur praecipua Parochorum munia nempe Sacrificii oblatio, Divini verbi praedicatio, et Sacramentorum (4) administratio.

237. Ad oblationem Sacrificii quod attinet tenentur omnes Curati, etiam amovibiles, sive Saeculares, sive Regulares in quibuscumque festivis diebus missam pro suis Parochianis applicare: adeo ut stipendium ullum pro ea sibi vindicare (5) prohibeatur.

238. Praedicationis officio debent cunctis festivis diebus, et quandocumque Spiritualis exquirit necessitas, praesertim Adventus, et Quadragesimae temporibus, de rebus Divinis ad populum sermonem habere: sicut et pueros fidei rudimenta docere, (6) ac praenunciare pariter indulgentias, dies festos, vigilias per hebdomadam incidentes, ne ignorantiae causa Ecclesiae praecepta violentur.

239. Sacramentorum administratio omnia complectitur Sacramenta, praeter Confirmationem, et Ordinem: cum ista sint ex Episcopali caractere pendentia.

240. Intra suae Pareciae limites quisque Parochus post ademptam legitime possessionem, proprio jure, sed sub Episcopi auctoritate Ecclesiam sibi demandatam regit; ideoque confessiones audit, peccata non reservata absolvit, Eucharistiam ministrat praesertim Paschatis annuo tempore, (7) pro Ecclesiae adimplendo praecepto.

341. Ab hoc fonte alia profluunt jura solis Parochis propria: nempe sponsos denunciationibus habitis, et de eorum canonica libertate constito, in matrimonio conjungere, servata forma, ritibusque (8) ab utroque jure sancitis.

242. Eorum itidem est puerperas primo templum ingressuras, sponsos coelibes in missa, fontem baptismalem, candelas festo Purificationis Beatae Mariae Virginis, cineres feria IV. Quadragesimae, palmas Dominica Majosis Hebdomadae, domosque Sabato Sancto solemniter benedicere; pro ut impositum in Rituali, ac Missali Romano prascriptumque fuerit.

243. In Locis vero ubi plures ob populi numerositatem Parochiae adsunt una eminet inter alias, quae Archipresbyteralis dicitur, et in cunctis ecclesiasticis functionibus praeeminentia gaudet.

244. Ejusdem ergo Rector nedum erga populum sibi concreditum sollicitudinem gerit, verum etiam Presbyterorum, omniumque Clericorum, qui per minores Titulos habitant, assidua inspectione, vitam, mores custodit: qua industria quisque Divinum opus exercet; et si quid

depravatum, inordinatumque deprehenderit (9) Episcopo renunciet.

245. Pro sui muneris igitur adimplemento in sua Parochia de jure Divino personaliter resistere tenentur cuncti animarum Curatores: cum officia quibus adstringuntur nequaquam ab iis praestari et adimpleri possunt, si Gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed more mercenariorum deserunt.

246. Poterunt tamen quandoque se absentare si legitima causa prius per Episcopum cognita, et probata discendendi licentiam ab eodem gratis, et in scriptis, servato juris ordine, (10) obtinuerint.

247. Animarum curam adepturos pro hujusmodi collatione obtinenda, non modo XXV. aetatis annum attigisse, sed moribus, doctrina digniores esse oportet; facto eorum idoneitatis periculo in Concursu formali coram Ordinario, et tribus saltem Synodalibus Examinatoribus si Paraeciae quovis anni tempore vacaturae, sint liberae collationis.

248. In Paraeciis vero juris patronatus ecclesiastici praevio pariter Concursu, eos instituent Episcopi, quos tanquam digniores inter approbatos ab Examinatoribus Patronus ecclesiasticus praesentabit.

249. In Paraeciis tandem juris patronatus Regii, et Laicalis praesentatos instituent Episcopi, dummodo idonei, praemisso examine, fue-

rint inventi, prout ex juris dispositionibus, et novissimis Pactis conventis (11) clarissime patet.

250. Excipiuntur autem Paraeciae in Curia Romana vacaturae, quarum Parochi a Sede Apostolica de aliqua ecclesiastica Dignitate, vel Canonicatu fuerint provisi; harum omnium collatio ad Romanum Pontificem omnino spectabit.

TITULUS XXV.

De Clericis Majoribus.

§. I *De Praesbyteris*

251. Clerici, qui a Graecis Praesbyteri; a Latinis Sacerdotes, sive Seniores dicuntur; non canitie corporis, aut annorum coacervatione, sed sapientiae, morum, ac prudentiae insimul (1) maturitate.

252. Accipiuntur igitur, pro secundi Ordinis Sacerdotibus: ita ut eorum Gradus proximus sit ad Sacerdotii culmen, scilicet Episcopatum.

253. Quaecumque vero sit Presbyterorum potestas, sub Episcopo tamen ecclesiastica obire ministeria debent: et nisi de licentia ejusdem, acceptam in Ordinatione potestatem expedire prohibentur.

254. Nonnulla exercent Presbyteri ratione ordinis, et jure proprio: ut est corporis Dominici, ac sanguinis consecrationem conficere, ba-

ptizare, benedicere, praeesse, et a peccatis (2) absolvere.

255. Alia siquidem ministeria ex speciali Episcopi delegatione secundum loci, temporis, et Ecclesiae necessitatis circumstantias exequentur.

256. Quaedam tamen neutro modo Presbyteris conceduntur: ut est Ecclesias consecrare, consecratas reconciliare, sacrum chrisma conficere, Clericos ordinare, publicas poenitentias injungere, aut publicos poenitentes solemniter reconciliare; cum sint (3) Episcopalis solius potestatis.

257. Illi demum ad sacrum Presbyteratus ordinem admittuntur, qui annum XXV. attingerint, in Diaconatu per annum ministraverint, nisi aliud necessitate cogente, Episcopi judicio, videretur, et cum legitime ad omnes inferiores Ordines promoti fuerint idonei, et digni, firmo testimonio, gnavoque examine se praebuerunt, ut ad sacra ministeria peragenda, populum edocendum, et Sacramenta ministranda pro Ecclesiae bono (4) assumantur.

§. II. *De Diaconis*

258. Quoniam in lege Evangelica novi Sacerdotii amplissima dignitas postulavit, ut essent qui Presbyteris, et Episcopis in Altaris ministerio servirent, fuit iis addictum peculiare Diaconi (5) nomen.

259. Et ideo dicuntur Diaconi, qui praeter Sacerdotalem characterem omnibus aliis Ordinibus ornati Episcopo, et Presbytero dum Altissimo Sacrificia offeruntur auxiliantur, assistunt, ministrant, et evangelium (6) ad populum praedicant.

260. Ad Diaconatus ordinem nemo ascendere potest nisi coeteros Ordines inferiores obtinuerit: et in XXIII. aetatis suae anno constitutus, in Subdiaconatus ordine ejusque ministerio saltem per annum perstitit; probitate vitae, et sacrarum literarum scientia (7) sociatus.

§. III. *De Hypodiaconis.*

261. Diaconis immediate subsunt Hypodiaconi, qui juxta Ecclesiae Latinae ritum in sacris Ordinibus constituti, inter Clericos majores adnumerantur.

262. Eorum munus est calicem, et patenam, panis hostiam, vinum, et aqua pro solemni Sacrificio ad Altare deferre, Levitis tradere, eisque ministrare, epistolam canere, paucas aquae guttas in calicem adfundere: sicut et Episcopis, ac Presbyteris celebrantibus pro lavandis manibus (8) praebere.

263. Nemo post adeptos omnes inferiores Ordines ad Sacrum Hypodiaconatus ordinem admitti permittitur ante XXII. aetatis suae annum, perpetuo coelibatu obstrictus, vita, fama, moribus, doctrina, diligenti praevio examine prae-

ditus, et ob Ecclesiae necessitatem, utilitatemque, Titulo beneficiali, vel patrimoniali (9) suffultus.

264. Ordinationis Titulus dicitur nedum Ecclesia cui Clericus eidem, Episcopi mandato, adscriptus, in Divinis inservire tenetur: (10) sed et reditus, sive ex ecclesiastico Beneficio, aut Cappellania provenientes, sive ex aliis liberis Bonis stabilibus ad hoc specialiter sibi adsignatis.

265. Novissimo Concordatorum jure apud nos patrimonialis Ordinandorum Taxa nequit esse citra quinquaginta, nec ultra octuaginta ducatos Neapolitanos.

266. Si vero Clerici ad sacros Ordines Beneficii, aut Cappellaniae titulo promovebuntur, quoties sive unius, sive alterius annuus reditus ad Taxam Diaecesanam non pertingat, tantumdem sibi ex aliis liberis fundis eorumque fructibus constituent, (11) quantum dictae Taxae integritas postulaverit.

267. Pro exquirendis autem patrimonialium Bonorum libertate, valore, reditu ac Donantium idoneitate, Civile Tribunal debet adiri, sicut et Beneficii, aut Capellaniae reditus Patrimonii titulo assignati, ab Episcopali Foro erunt (12) exquirendi.

268. Quando demum missarum oneri, Beneficj reditus, vel Capellaniae subjiciuntur, si ad centum usque numerum pertingent, nihil de-

ducitur: si vero excederint supputabuntur missae ad rationem tareni unius neapolitani, et de qualibet earum, tertia detrahetur tareni pars; reliquum vero pro reditu Patrimoniali (13) absolvendo computabitur.

TITULUS XXVI.

§. I. *De Clericis Minoribus.*

269. Nonnulla ministeria quae antiquitus in Ecclesia per Diaconos exercebantur, aucto fidelium numero quinque inferiores Gradus instituti fuere: inter quos Hypodiaconatus Officium, quod Latinae Ecclesiae Disciplina ad sacrum majoremque Ordinem sublimavit, (1) coelibatus lege praescripta.

270. Prisca igitur institutione quatuor recensentur minores Ordines, nempe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus.

271. Dicuntur minores quia parum solemnitatis, et sine Sacramentali benedictione, cum quadam vasorum, aut indumentorum distributione conferuntur.

272. Acolythis igitur non alia juxta Pontificale commendantur Officia, quam luminaria in Ecclesia accendere, cereos ibidem deferre, aquam vinumque ad Eucharistiam ministrare.

273. Exorcistae cathecumenis, et energumenis manum imponunt, et ad fugandos De-

mones solemnes adhibent adjurationes in nomine Domini.

274. Lectores dicuntur, qui lectiones pronunciare, et ea quae in sacris Scripturis continentur pubblice, vel ex Sugestu legere tenentur.

275. Ostiarii, sive Æditui sic dicti Ecclesiae claves tenere, Fores observare, et omnia quae in ea sunt fideliter custodire: campanas etiam pulsare, Fidelibus recipere; sicut excomunicatos, ac infideles e Tempo, sano judicio, ejicere (2) debent.

276. Clerici omnes si in majoribus Ordinibus constituti reperiuntur, matrimonium nequaquam sub nullitatis poena contrahere possunt: sed ecclesiasticis Beneficiis etiam et Dignitatibus aeque ac si in minoribus existunt, eo ipso privantur, et ad superiores Ordines provehi (3) vetantur.

§. II. *De Clericali Tonsura.*

277. Ecclesiasticos ordines per Clericalem Tonsuram veluti per januam ingredi oportet: quae si non recensetur inter Ordines, est tamen Ecclesiastica dispositio ad Ordines (4) suscipiendos.

278. Attonsi vero canonicis requisitis muniti clericalibus privilegiis, gaudent: ac Officiis minoribus fungi, et ecclesiastica Beneficia recipere possunt.

279. Nemo laicorum clericali tonsura initiari potest nisi constita probitatis conjectura, Sacramentum Confirmationis receperint, et fidei rudimentis edoctus, literarum elementa (5) callet.

280. Concordatorum tamen jure, ut quis ad Clericalem Tonsuram admitti possit, assignatae sibi Ecclesiae triennali servitio jam praestito, dummodo non sit passive ad aliquod Beneficium artatus, in aetate vero annorum quatuordecim (6) constitutus esse debet.

281. Apostolica tandem novissima indulgentia favore Ecclesiarum hujus Regni jam lata, absque ulla Patrimoniali constitutione, sed ad titulum dumtaxat necessitatis, et utilitatis Ecclesiae, coeteris existentibus requisitis legitime probatis, una cum minoribus Ordinibus (7) conferri permittitur.

TITULUS XXVII.

De His qui promoveri non possunt.

282. In re ecclesiastica, qui Ordines recipere, receptos exercere, aut ad superiores Ordines promoveri prohibentur Irregulares nominantur.

283. Nascuntur irregularitates ex vitiosis qualitatibus animi, corporis, et externae in Saeculo conditionis.

284. Vitio animi excluduntur a canone Haeretici, Schismatici, eorumque Filii, et nepotes:

Energumeni, ac literarum inscii (1) pro ministerio Ordinum exercendo.

285. Rebaptizati, et baptismum solemniter iterantes: Ordines furtive, vel constante matrimonio suscipientes, aut in Ordine non suscepto, vel cum censura ministrantes, sive per saltum promoti; sicut et Clerici censuras temere (2) violantes.

286. Itidem criminosi omnes notorii, aut ii qui occultis criminibus obnoxii irregularitatis noti inuruntur: aliique delicta aequalis, vel majoris conditionis perpetrantes, si ea publicam infamiam gignunt, et irregularitatem, jam expresso jure inducunt.

287. Inter hos specialiter notantur homicidae, aut humani membri mutilatores, nisi pro vitae propriae defensione id commiserint (3) nec non homicidiariorum absque protestatione accusatores, vel moraliter ad secutam mortem (4) concurrentes.

288. Eodem vitio alienantur a canone Bigami, nempe qui duas uxores et cognitas, aut viduam cognitam, vel mulierem ab alio corruptam duxerunt; generatim qui non virginem (5) sibi conjunxere.

289. Sacris Ordinibus tandem initiati, vel solemni voto obstricti si matrimonium quamvis nullum attentarunt, pro Bigamis a jure censentur.

290. Corporis vitio excluduntur a canone, qui sunt ita corpore vitiati, ut absolute Ordinis

ministeria peragere non possint: et si aliquatenus possunt, cum Ministerii tamen probro, et adstantium admiratione; uti sunt caeci, muti epileptici, lunatici, aut comitiali morbo laborantes.

291. Si vero absque propria culpa defectus corporis post susceptos Ordines supervenerit, non reditur quis absolute irregularis, sed per illum actum Ordinis dumtaxat, quem exercere non potest, (6) In Laico ante promotionem non sic, quia dispensatione eget pro Ordinibus etiam minoribus suscipiendis.

292. Inter corporis vitia imperfecta Ordinandorum aetas pariter adnotatur: ita ut ante XIV. aetatis annum saltem inceptum, apud Nos, clericalis Tonsura, minoresque Ordines; ante XXII. Hypodiaconatus: ante XXIII. Diaconatus; et ante XXV. Presbyteratus (7) conferri prohibentur.

293. Externa Saeculi conditione demum arcentur a canone Servi absque consensu Domini: Monachi sine licentia Regularis Praelati; et Alienigenae originis Ordinarii Testimonialibus Literis (8) minime obtentis.

294. Eisdem adiunguntur Illegitimi ex natalium defectu: ac militantes in Bello, etiamsi cingulo militari soluti remansere, et generaliter omnes Officia publica exercentes, nisi redditis rationibus, (9) ordinari vetantur.

295. Irregularitates si extrinseco, et tempo-

rario defectu nascuntur sublato vitio desinunt, (10) cunctae vero dispensatione tolluntur.

296. Si ex defectu Irregularitates proveniunt, solus Pontifex dispensat (11) ex delicto tamen Episcopus, dummodo sit occultum, excepta ea Irregularitate, quae oritur ex homicidio voluntario, aliisque (12) ad forum contensiosum deductis.

TITULUS XXVIII.

De Regularibus et Monialibus

297. Inter Ecclesiasticas personas Regulares etiam adnumerantur.

298. Regulares dicuntur illi qui Regulam, et substantialia vota alicujus pii Instituti a Sede Apostolica approbati, firmo animo (1) profitentur.

299. Quamvis aliquantulum differant a Monachis sub solitaria Regula intra Monasterii septa degentes, attamen utrique regulariter plus, minusve strictiori modo viventes, Regularium appellatione adhuc Monachi (2) continentur:

300. Omnes Christifideles monasticam regulam profiteri possunt, nisi speciali causa, aut singulari ratione prohibentur.

301. Excluduntur ideo legitimam aetatem non habentes: (3) Servi sine Dominorum lincetia; dummodo per triennium in Monasterio absque molestia (4) permanserint.

302. Ære alieno pariter gravati: aut gravi morbo laborantes: (5) matrimonio consumato conjuncti conjuge reclamante; (6) sicut et Episcopi sine Summi Pontificis (7) indulgentia.

303. Absque monastica jurata Professione improprie quis dicitur Monachus, sive Regularis.

304. Praecipua Regularium Vota sunt obedientiae, paupertatis, et castitatis in quibus christianae perfectionis ambitus continetur: et cum quibus tria capitalia vitia (8) ambitionis, avaritiae, et voluptatis oppugnantur.

305. Obedientia consistit in perfecta Divinorum praeceptorum, et Regulae observantia, ac stricto mandatorum Superiorum adimplemento: nisi quid imperent eisdem manifeste oppositum; ideoque nuncium propriae voluntati mittendo, perpetuo manere, nec ad aliud Institutum, nisi strictioris observantiae (9) transire vetatur.

306. Paupertatis summa versatur in perfecta abdicatione rerum omnium externarum quoad fieri potest; necessariis ad victum, vestitumque exceptis modo, qualitate, forma, prout strictius vel laxius pro Regularum diversitate (10) consulitur.

307. Voto castitatis nedum vitia huic virtuti opposita prohibentur, sed nuptiae quoque: ita ut si de facto matrimonium contrahatur, nullum redditur, et invalidum: conjunctio sacrilega; liberique illegitimi, et irregulares (11) habentur.

308. Ad continentiae virtutem colendam, et suspicionem quamcumque tolendam Monachis interdicitur mulierum consuetudo, ac infantium in baptismo, et confirmatione susceptio, sicut et foeminis ne religiosorum Locorum limina superent (12) sub excomunicationis poena.

309. Ut recte valideque monastica professio emittatur, Novitius, anno probationis exacto, solemni voto publice, in manibus Superioris vale dicit Saeculo, optatumque Institutum profitetur.

310. Ad professionem vero non admittitur nisi post decimum sextum annum jam expletum. Apud nos autem in vicesimo secundo aetatis anno professionem explere (13) permittitur.

311. Per professionem igitur irregularitas ex defectu natalium orta jam solvitur, quoad Ordines dumtaxat suscipiendos, non autem ad Dignitates, et Praelaturas (14) obtinendas.

312. Sed Monachi nec active, nec passive judicio morari possunt, nec etiam testari, Tutelas administrare, Soecularia Officia, et Beneficia obtinere, Judiciis officio fungi; (15) cum Monachi tamquam mortui habentur in hoc Soeculo.

313. In suis Ecclesiis Regulares quid quid Episcopalibus, ac Parochialibus juribus adversatur explere haud possunt: praesertim verbum Dei praedicare, et Fidelium confessiones excipere, (16) nisi licentia Episcoporum obtenta.

314. Si vero in nonnullis Monasteriis animarum Cura immineť soecularium personarum,

praeter eas de Locorum Familia, quicunque tam Regulares quam Saeculares dictam Curam exercentes, in iis quae ad eadem, et Sacramentorum administrationem pertinent Episcoporum jurisdictioni subsunt: exceptis iis in quibus Abates, Generales, aut Ordinum Capita ordinariam principalem (17) habent Sedem.

315. Pro variis Regularium Institutis varium inspicitur regimen.

316. In aliquibus nuncupatur Abas, qui jam professus, ab unicis Monasterii Monachis canonice electus, et ab Episcopo solemniter benedictus, eosdem juxta Regulam regit, et temporalia ejusdem (18) fideliter administrat.

317. In nonnullis autem singuli singulis Generalibus, Provincialibus, Praepositis submisse parent; qui totius Ordinis, aut Provinciae Regularis, vel Religiosae Domus utilitati, majorique bono consulere, subditos gubernare, contumaces coercere, munia distribuere, et cuncta quae Instituti ratio postulat (19) exequi adimplerique tenentur.

318. Pro habendis demum Regularium Praefectorum electione, rectoque Subditorum gubernio, varia eorumdem Ordinum Statuta, Apostolicae Constitutiones, ac Generalium Conciliorum Decreta in omnibus, et per omnia, exacte, fideliterque, sub nullitatis poena, debent a Regularibus (20) observari.

319. Ad instar Regularium, Sanctimoniales pariter reguntur sub directione Abatissae, vel Priorissae non minoris XL. annis aetatis suae, VIII vero monasticae Professionis; a Monialibus Choristis, Episcopo consentiente, per vota secreta canonice, ad triennium electae (21) aut alias juxta propriae Regulae praescriptum.

320. Nemini igitur Sanctimonialium licet post emissam professionem, Regni jure, XXII. aetatis suae anno, e Monasterio etiam ad breve tempus exire, nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda sub poenis a jure latis.

321. Ne secretior Monialium vita turbetur, nemini cujuscunque aetatis, sexus, et conditionis, sub excomunicationis poena, in Monasterio penetrare permittitur, absque licentia Episcopi (22) in scriptis obtinenda.

322. Et ut spiritualibus auxiliis ad perfectiorem vitam sectandam Moniales sublevèntur, secus Monasterium eisdem indulgetur publicum Oratorium habere, ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, sacrum oleum Infirmorum custoditur, et ecclesiasticae Functiones, citra praejudicium jurisdictionis Ordinarii, juriumque Parochialium debite peraguntur; Confessario Monialium, aliisque Sacerdotibus per Episcopum specialiter assignatis ibi ministrantibus.

CANONIC: INSTITUTIONUM

ENCHIRIDION

LIBER SECUNDUS

TITULUS PRIMUS

De Rerum Ecclesiasticarum Divisione.

323. Quamvis jure Civili variae sint rerum divisiones, verum ad jus Canonicum quod attinet Res ecclesiasticae dividuntur in Spirituales, et Temporales.

324. Spirituales Spiritui deserviunt ad profectum animae comparatae Temporales autem pro ecclesiasticis ministeriis, sacrorumque Ministrorum usu (1) institutae reperiuntur.

325. Res Spirituales itidem aliae sunt incorporales, quae nec tangi, nec sensu percipi possunt, sed ope intellectus cognoscuntur: uti Virtutes, Dona Dei, Juraque omnia ecclesiastica (2) Aliae vero corporales, quae sub sensu cadunt insimul; ideoque Sacramenta Res Sacrae, Religiosae, et Sanctae Spirituales Corporales (3) jure dicuntur. Et primo.

TITULUS II.

De Sacramentis in Genere.

326. Vox Sacramenti apud Gentes varia-tim (1) significat: apud Christianos vero denotat sacrum ritum a Deo ad Spiritualem hominum salutem (2) institutum.

327. Secundum Legem Evangelicam Sacramentum dicitur Ritus externus, qui ex Christi institutione est signum, et causa operativa gratiae sanctificantis.

328. Sacramentorum Auctor in Lege nova est Christus Dominus (3) ea vero administrandi potestas in Ecclesia ab ipso reposita existit. Unde Ecclesia nec addere Sacramentorum numero, nec detrahere potest, (4) cum sint a Deo instituta.

329. Suam virtutem igitur Sacramenta non amittunt ex Ministrorum moribus: nam cum eorum vis, et efficacia a Christo promanat, gratiam quam in se continent, non ponentibus obicem conferendo, ob Ministratium foeditatem non (5) commaculantur.

330. Ministri vero etsi tanquam instrumenta habentur, potestatem tamen habere debent, et voluntatem actualem, aut saltem virtualem faciendi id quod facere intendit (6) Ecclesia.

331. Septem sunt Ecclesiae Catholicae Sacramenta Baptismus, Confirmatio, Eucharistia

Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, et (7) Matrimonium.

332. Ex his tria Baptismus, Confirmatio, et Ordo in anima suscipientis characterem imprimunt indelebili signo obsignatum; ideoque iterari (8) non possunt.

333. Omnia ista Sacramenta in universum sunt Ecclesiae necessaria. Ratione vero singulorum quaedam voluntaria sunt ut Ordo, et Matrimonium. Baptismus autem omnibus extra Ecclesiam positis, et Poenitentia post Baptismum lapsis, ad gratiam obtinendam, vel recuperandam absolute necessaria sunt necessitate medii. Reliqua demum necessaria ad aeternam salutem consequendam (9) necessitate praecepti.

334. Novae Legis Sacramenta ex duobus constant verbo, et elementa. Verba sunt quae visibilis formae efficaciam exprimunt. Elementum vero quid quid sub visibili materia, invisibilem designat gratiam, et continet; ita ut accedente verbo ad elementum, dummodo potestas, et voluntas Ministrantium eodem actu intersint.

335. Baptismo dumtaxat excepto, qui cuicunque homini viatori largiri potest: reliqua vero Sacramenta a Fidelibus tantum, cum intentione saltem habituali Sacramentorum effectus recipiendi, valide suscipiuntur; contradicentes autem, vel nunquam consentientes nec vim, nec characterem (10) recipiunt Sacramenti.

336. Potestate a Christo Domino Ecclesiae

suae concessa, nonnulli sacri Ritus ab eadem Sacramentorum administrationi additi sunt: ut rectum Religionis exercitium, reverentiam et dispositionem insimul in Suscipientibus (11) revocarent.

337. Cum autem Caeremoniae Sacramentales natura sua extrinsecus mutabiles sint, Sacramentis quoad substantiam non officiunt: dummodo ab Ecclesia tanquam partes integrantes, sub nullitatis poena eorumdem adimplementum praescribitur.

TITULUS III.

De Sacramento Baptismi.

338. Baptismi nomen, graece ablutionem significat. Inter Sacramenta novae Legis primum locum obtinet Baptismus omnium Sacramentorum janua, et fundamentum, cum sine eo (1) homo salvus esse non potest.

339. Baptismus igitur est ablutio corporis exterior, quae adhibita certa verborum forma interiorem animae ablutionem (1) designat, et operatur.

340. Pro Baptismo valide conferendo necessario requiruntur aqua naturalis simplex et pura: verba institutionis secundum formam a Christo traditam Apostolis ut baptizarent in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (3) Minister qui

adhibendo aquam, et eadem verba actu proferendo, intentionem habet saltem faciendi quod facit Ecclesia; ac homo volens, vel non repugnans quousque vivit, sive mas, sive foemina, sive adultus, sive infans ad Baptismum (4) suscipiendum.

341. Advertendum tamen quod non est baptizandus ille quem creditur firmiter baptizatum fuisse; ideoque semel baptizatus non est rebaptizandus: et si hoc scienter fit Minister, et susceptor poenis a jure latis (5) subjacent, et puniuntur.

342. Jure ordinario baptizandi potestas penes Episcopos residet, et animarum Curatores: jure autem delegato Presbyteri solemniter baptizant in casibus ordinariis; sicut, et Diaconi licentia prius obtenta.

343. Si vero necessitas urget, etiam Laicis, Haereticis, Schismaticis, et Infidelibus sub legitima forma, et juxta Ecclesiae intentionem privatim baptizare permittitur: nam a Christo Institutore, non jam a Ministris vim, et efficaciam obtinent (6) Sacramenta.

344. Etsi unus Baptismus nempe aquae, seu fluminis dictus veram Sacramenti rationem habet; (7) duo alii qui flaminis, et Sanguinis Baptismi nuncupantur vicem Sacramenti supplent, cum reapse Sacramenta non sint.

345. Baptismo flaminis mandatur ut in aeternum salvi fiant omnes hi, qui Christi fidem,

et cordis contritionem habentes, in hujusmodi ardenti desiderio morte (8) abripiuntur.

346. Baptismus itidem sanguinis martyrium passis ante Baptismum aquae, ob Dei nomen coelestem gloriam absque dubio (9) largitur.

347. Triplex est Baptismi effectus Gratia, Character, et Spiritualis Cognatio.

348. Ad Gratiam quod spectat justificationem adfert, qua homines in Dei filios adoptantur, et viam ipsis aperit (10) ad aeternam salutem.

349. Character cum sit nota quaedam spiritualis imprimit animae indelebile signum, quo baptizatus, a non baptizato distinguitur; ideoque Baptismus iterari nequit: et si grave dubium irrepserit (11) sub conditione ministrandus erit.

350. Spiritualis cognatio inter susceptores, et baptizatum, illiusque patrem, e matrem: nec non inter Baptistam, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem dumtaxat (12) contrahitur.

351. Gratia quae per Baptismum producitur remittit nedum originale peccatum, sed etiam adultorum propria quoad culpam, et poenam temporalem debitam.

352. Remanet autem in ablutis peccati fomes ex natura corrupta ad spiritualem agonem relictus: ut qui legitime certaverit, (13) immarcescibilem coronam accipiet.

353. Etsi Baptismus verbo, et elemento perficitur, multa tamen Apostolica traditione in-

ejusdem administratione, ab Ecclesia constituta ac sancita fuere.

354. Eo spectant solemniores ritus abrenunciandi Diabolo, et pompis ejus: catholicae Fidei praecepta profitendi, eisque obedientiam, et adimplementum spondendi: Parentes lustricos adhibendi, qui baptizandum offerunt, pro eo stipulantur, educationemque curare tenentur.

355. Pro reddenda palam sanctitate, mysterii adjunguntur etiam exorcismi, exufflationes, salis benedicti gustatio, salivae contactus, olei consecrati inunctio; quae omnia si ex malitia, vel oscitantia praetermittuntur poenis canonicis contumaces arguere jura (14) conclamant.

356. Baptismus denique non alibi quam in Cathedralibus, et Parochialibus Ecclesiis, ubi Fontes adsunt ad hoc deputati ministrari debet: ut ab Episcopo, vel a suo quisque Parocho, aqua lustrica jam consecrata regeneretur; nunquam vero in Aulis, Domibusque privatis.

357. Excipiuntur tamen Regum, vel Principum Liberi ob eminentem dignitatem: aut talis emerserit necessitas, propter quam ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi (15) non poterit.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

358. Post Baptismum, Confirmationis Sacramento robustiores, per arma Divinae gratiae, fideles evadunt.

359. Est igitur christianae Religionis Sacramentum, quo regenerati per Spiritum Sanctum gratiam sanctificantem, robur, et auxilia spiritualia consequuntur, ut quis catholicam fidem (1) intrepide profiteri possit.

360. Administratur hoc Sacramentum baptizatis cujuscumque aetatis, et sexus per manuum impositionem, et sacri Chrismatis in fronte inunctionem a legitimo Ministro peractam, formam ab Ecclesia praescriptam adhibendo; prout in Pontificali Romano (2) pro latinis: et pro Graecis (3) in eorum Euchologio habetur.

361. Apud Latinos sacrum chrisma conficitur ex olivarum oleo, et balsamo per consecrationem, quae ab Episcopo quotannis in Coena Domini peragitur. (4) Apud Graecos autem ex oleo, balsamo, et trigintaquinque aliis aromatum speciebus, vino antea concoctis.

362. Ordinarius hujus Sacramenti Minister unus est Episcopus: (5) extraordinario enim jure Sacerdotibus Latinis ex Pontificia delegatione; (6) ob toleratam vero ab Ecclesia consuetudinem Graecis Presbyteris confirmandi facultas, cum

chrismate per Episcopum consecrato adhuc indulgetur.

363. Hujus Sacramenti effectus duo sunt Gratia, et Character.

364. Spiritus Sancti gratia confirmatis adherens, gratiam in Baptismo acceptam confirmat, et auget: ut fideles adversus nequitiae conatus fortes in praehabita justitia, validioresque, uti Jesu Christi milites, persistant.

365. Imprimit etiam characterem in confirmatorum anima: hoc est signum quoddam spirituale (7) et indelebile: unde illud sine sacrilegio iterari non potest.

366. Quamvis non sit ad salutem absolute necessarium, tale vero redditur adultis omnibus, qui commode possint consignari; cum unusquisque ex Divino, et Ecclesiastico praecepto christianae vitae perfectionem adquirere tenetur.

367. Ex nova Ecclesiae disciplina in hujus Sacramenti administratione adhibendus est unus Susceptor sive vir, sive mulier jam confirmati; (8) prout Consignandis magis esse conveniat.

368. Sponsorum igitur munus est in christiana Religione, et Fide Dominica Confirmatos instituere, et erudire; ita ut pro eisdem apud Deum quasi fidejussores (9) eorumdem existant.

369. Contrahitur ex hoc spiritalis cognatio inter Confirmantem, et Confirmatum ejusque patrem, et matrem: sicut et inter Sponsorem, et Oblatum, ejusque Genitores, quae nuptiis obstat

contrahendis, contractas vero absque Dispensatione Apostolica (10) irritas facit, et dissoluit.

TITULUS V.

De Sacramento Eucharistiae.

370. Quod a Graecis Eucharistia, a Latinis gratiarum Actio dicitur: eo quod ab Evangelistis Christum Dominum cum in novissima Coena hoc Sacramentum instituit, Deo gratias egisse (1) testatur.

371. Eucharistia igitur est Sacramentum corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini ad spiritualem animae refectionem, ab ipso Christo jam institutum.

372. Hujus Sacramenti materia est panis triticeus sive azimus quo Latini, sive fermentatus quo utuntur Graeci, et vinum de vite (2) ex uvis expressum.

373. Tota vero panis, et vini substantia consecrationis vigore in verum corpus, et sanguinem Jesu Christi per transubstantiationem convertitur: ita ut ipse Christus sub panis, et vini speciebus, et quibusvis earumdem partibus ex vi verborum, uti Deus et homo, in hoc mirabili Sacramento reali praesentia (3) habetur.

374. Vino, aliquantulum aquae admiscetur juxta veterem utriusque Ecclesiae Disciplinam: cujus originem ab ipso Christo cuncti Patres re-

petiere: sicut et Populi christiani cum Christo unionis significationem recognoverunt; tum etiam quia de latere ejus (4) sanguinis effluxit, et aqua.

375. Verba quibus essentialiter panis elementum consecratur haec esse: *Hoc est corpus meum*; et quibus elementum vini *Hic est sanguis meus*: vel *Hic est calix sanguinis mei.* Quibus iisdem verbis Redemptor noster Eucharistiam, antequam transiret (5) ex hoc mundo ad Patrem consecravit.

376. Nemini verum licet a formula consecrationis per Ecclesiam rite approbata in minimum recedere commutando, omittendo, addendo, vel mutilando absque gravi piaculo coercitione digno; et si verborum sensus corrumpitur invalidum redditur Sacramentum.

377. Cum in hoc Sacramento sub hujusmodi speciebus Christi corpus, et sanguinis vere, realiter continetur, qua fide, et veneratione asservandum, custodiendum, suscipiendum, ac deferendum (6) manifeste patet.

378. Eucharistiae rationem duplicem esse nempe Sacramentum, et Sacrificium (7) catholica Fides satis usque demonstrat.

379. In Eucaristiae administratione elementorum consecratio, eorumque dispensatio attendi debet.

380. Quoad consecrationem soli Sacerdotes Eucharistiam conficiunt potestate a Christo Aposto-

lis, eorumque Successoribus dumtaxat concessa: (8) qui et Dispensatores etiam evadunt.

381. Excipiuntur tamen juxta Ecclesiae disciplinam Pascalis Comunio, et Sanctissimi Viatici dispensatio: quae ordinario jure ad animarum Curatores omnimode spectant.

382. Sicut Eucharistiae dispensatio ab Ordine Sacerdotali necessario non pendet, etiam Diaconis, ex Ecclesiae politia, dummodo necessitas cogat, de mandato Episcopi Eucharistiam Fidelibus (9) dispensare permittitur.

383. Eucharistiae Sacramentum licet necessarium ad salutem absolute non sit, tenentur vero cuncti Fideles justitia, charitate praediti, et quo par est modo dispositi, eam sub una panis specie saepius in vita recipere: cum sit ex Divina (10) institutione animae justificatae cibus, robur, et vita.

384. Ex Ecclesiastico attamen praecepto semel in anno, Paschali tempore saltem obveniente, Laici omnes cum ad annos discretionis advenerint peccata sua fideliter confiteri, injunctam poenitentiam propriis viribus adimplere, et ad hanc coelestem mensam reverenter accedere (11) debent.

385. Etsi parvuli usu rationis carentes nulla obligatione, vel necessitate Sanctissimae Eucharistiae participes fieri obstringuntur, (12) ab hac Eucharistica mensa Infideles, Cathecumeni, Haeretici, Energumeni, Criminosi notorii: aut

publica censura, vel poenitentia irretiti, juxta veterem, novamque Ecclesiae Disciplinam procul semper (13) habeantur.

386. Occultis autem peccatoribus Eucharistia sano consilio ministretur: ne famae jus cuique tribuendum, privato judicio ledatur.

TITULUS VI.

De Sacrificio Missae.

387. Missae nomen a populi dimissione post quodvis ecclesiasticum Officium in Sacris Ædibus tunc temporis peractum originem habuit: (1) vulgari tamen significatione pro integra Divini Sacrificii celebratione accipitur.

388. Missa igitur est vere, et proprie Sacrificium corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vinis divinitus institutum, et vere quidem (2) repraesentatium mortis Christi.

389. Sacrificium etenim incruentum in missa, idem est cum cruento Sacrificio in Cruce jam secuto: cum licet Christus resurgens ex mortuis mors illi dominari non poterit, haec enim mystica immolatio quae fit manibus Sacerdotis passio, crucifictio, et mors Christi vocatur, non rei veritate, (3) sed significante mysterio.

390. Sacrificium istud soli Deo offertur debitum illi cultum reddendo: nec Angelis ideo,

neque Sanctis Divinum adorationis, aut Sacrificii honorem fas est tribuere; nam etsi in eorumdem memoriam, et venerationem Missas Ecclesia celebrare consueverit, non illis Sacrificium offerri docet sed soli Deo (4) qui illos coronavit.

391. Prodest autem vivis hominibus pro quibus offertur ad peccatorum remissionem, poenarum satisfactionem, gratiae augmentum, necessitatumque largitionem obtinenda: sicut et Defunctis in Christo nondum integre purgatis. (5) Nam si ratione rei oblatae valoris est infiniti, quoad effectum vero juxta fidei, et dispositionis gradus, finiti redditur valoris.

392. Hujus Sacrificii Minister non est alius quam Sacerdos legitime ordinatus ex Christi institutione, per illa verba Apostolis dicta (6) *hoc facite in meam commemorationem*; ita ut si bonus valide, et licite celebrabit Sacerdos, sin malus, aut censuris irretitus, valide tantum offeret.

393. Missae etsi coeremoniarum apparatu inter publicas, et privatas distinguuntur, publicae, et comunes censeri debent: quod in illis populus Sacramentaliter, et spiritualiter comunicat: et a publico Ecclesiae Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus quotidie celebrantur; (7) praeter Feriam Sextam, et Sabatum majoris Hebdomadae.

394. In quadragesimalibus diebus Graeci missae celebrationem excludunt, exceptis Sabato,

Dominica et Annunciationis Beatae Mariae Virginis festo: quo tempore missam Praesantificatorum, hoc est corporis Christi antea consecrati reverenter adjiciunt; qua Latini feria sexta majoris Hebdomadae pariter utuntur.

395. In missae unius celebratione pro unoquoque die coeremonias, mysticas benedictiones adhibent, ac multa quaedam recitant Sacerdotes cum Latini, tum Graeci, servatis Ecclesiae quisque suae Ritibus praescriptis, ab Apostolis tradita, nonnulla vero ab antiquis Patribus, et Pontificibus superaddita.

396. Haec omnia vero sanctitatem redolent, ac pietatem, et in Deum mentes erigunt Offerentium; (8) sicut et adstantis populi, qui diebus dominicis, et festis de praecepto (9) missae debent interesse.

387. Cum Sancta sancte tractanda sint, missa licite celebrari potest non alio in loco nisi Ecclesiis, vel Locis legitima auctoritate consecratis, aut benedictis: magna vero urgente necessitate non sic; dummodo expressa Ordinarii licentia (10) praecesserit.

398. Excluduntur omnino Oratoria privatis in domibus constructa, majorum Praelatorum exceptis aliorumque ab Apostolica Sede (11) qui hujusmodi indulgentiam obtinuere.

399. Desuetis ad Altare praesertim panis, et vini oblationibus missarum stipendia invaluere, ut pro singulis offerrentur missae: earumque

fructus sicut toti Ecclesiae, ac Celebranti necessario adhaerent, uni stipendium offerenti etiam spiritualiter prodest.

400. Cavendum igitur ne superstitio, irreverentia, aut avaritia pro hujusmodi adimplemento exardescat; sed sacrorum celebratio, interessentia populi, ac elemosinarum exactiones ad mentem Canonici juris omnimode expediri (12) consulitur.

TITULUS VII.

De Sacramento Poenitentiae.

401. Poenitentia apud Christianos vel tanquam Virtus habetur, vel ut est novae Legis Sacramentum.

402. Uti virtus est displicentia de peccati jam commissis cum proposito non peccandi de caetero, ac Deo debite satisfaciendi, ideoque omni tempore homni necessaria (1) fuit.

403. Si ut Sacramentum a Christo Domino institutum spectetur (2) est ritus sacer quo per baptismum lapsis, corde vero dolentibus, confessis, et satisfacere volentibus, peccata jam commissa per Sacerdotis absolutionem remittuntur.

404. In Ecclesia plenariam potestatem esse nullo peccatorum omnium discrimine ex verbis Christi definitum extat. Et si hominibus atrociorum quorumdam criminum Reis venia aliquando

denegata fuit, non ex potestatis defectu, sed severitate Disciplinae, et ut ad meliorem frugem peccatores convertantur, inductum reperitur.

405. Tres poenitentis actus nempe cordis contritio, oris confessio, et operis satisfactio signum sensibile continent seu quasi materiam in hoc Sacramento (3) quibus peccata actualia post baptismum commissa *sufficienter si venialia*, *necessario* lethalia adjunguntur.

406. Contritio igitur est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito in posterum non peccandi, ac confitendi voto (4) et satisfaciendi.

407. Causa per quam animus dolet duplex esse potest: vel amor Dei summi boni displicentiam gignens vere filialem ob commissas offentiones plene voluntariam, et perfectam, vel timor filialis ex poenarum metu conceptus: aut ex turpitudinis peccati in Deum obvertentis consideratione.

408. Prima igitur contritio perfecta vocatur, quae Deo illico peccatorem conciliat ante Sacerdotis absolutionem, cum voto tamen rite suscipiendi poenitentiae Sacramentum.

409. Secunda vero imperfecta nuncupatur, et attritio dicitur, quia peccatorem penitus disponit ad gratiam sanctificantem sed illum disponit ut capax sit gratiae sanctificantis cum poenitentiae insimul (5) Sacramento.

410. Alter poenitentis actus est confessio, seu accusatio verecunda, fidelis, et integra per se, criminum suorum singillatim omnium peccatorum, eorumque adjunctorum, quae peccatum circumstant, et pravitatem valde augent, vel minuunt penes Sacerdotem pro absolutione virtute clavium obtinenda, ex institutione Christi, ejusque mandato (6) jam imposito.

411. Nam si peccatum aliquod quis sciens in confessione reticeat, nullam de confessis veniam nedum consequitur, sed novum quidem Sacrilegii crimen committit. Minister vero qui confessionem excipit jure naturali, divino, et ecclesiastico, gravioribus poenis, ad inviolabile (7) tenetur Secretum.

412. Tertius poenitentis actus est satisfactio, quae poenitentiae Sacramentum perficit. Dicitur sic cum sit aliquatenus poenae compensatio ob injuriam Deo illatam debitae, opera bona, vel dura in actu confessionis imposita exequendo voluntarie, (8) et adimplendo.

413. Sacramentalis satisfactionis effectu Deo reconciliati per poenitentiam peccatores, licet aeternae poenae remissionem obtinuerint, temporarias adhuc poenas vel in hac, vel altera vita luere tenentur.

414. Ad temporalium poenarum remissionem in partem, vel totaliter cuncta opera bona in statu gratiae expedita, praesertim Indulgentias satis

haberi auctore Christo, meritisque Sanctorum, (9) Fides catholica docet.

415. Indulgentiae nomine venit poenae temporalis remissio, quae post culpae, et poenae aeternae condonationem luenda superest, per Thesauri Ecclesiae applicationem, a legitimo Superiore concessa.

416. Si totam remittit temporalem poenam peccatis debitam quaod culpam remissis, *plenaria* dicitur: et ab uno Summo Pontifice in tota Ecclesia jure suo, ab inferioribus autem, ad mentem Apostolicae Facultatis, relaxatur. Si vero determinatam hujus poenae partem remittit, *partialis* habetur; quam Episcopus suis Dioecesanis dumtaxat loco, et tempore (10) impartitur.

417. Sacramenti poenitentiae forma, in qua praecipua ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis continetur, *ego te absolvo a peccatis* et quibus ex Ecclesiae praecepto aliae praeces adjunguntur, quamvis ad ipsius formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem necessariae; (11) earumdem vero praeteritio absque urgenti necessitate nefas, et punibile redditur.

418. Quamvis Christi Domini verba *quaecunque solveritis erunt soluta* et indicativam formam qua Latini utuntur satis exhibent, apud Graecos autem depraecativo modo adhibetur forma. Sed quibuslibet Synonimis verbis sua remit-

tendi peccata voluntas exprimitur, dummodo illa sensum non mutant receptae formae, nec actum judicii, rata semper erit Sacramentalis absolutio.

419. Non alii nisi Episcopi, et Sacerdotes ministri sunt hujus Sacramenti, quibus clavium potestas Christi voce demandata fuit.

420. Sicut per Spiritus Sancti virtutem, eisdem in Sacra Ordinatione collatam, uti Christi ministri, potestatem tanquam judices remittendi peccata excercent, etsi lethali culpa irretiti, valide quidem (13) Sacramentum hoc ministrant.

421. Inequali tamen jure exercetur. Nam Episcopi, Cathedralium Poenitentiarii, Parochi, cunctique animarum Curatores Beneficiorum collatione, nullo intercedente mandato, Ministri proprii, et ordinarii evadunt per Diaecesim, (14) Parochiam, aut collatae Ecclesiae fines.

422. Reliqui Sacerdotes cum Saeculares, tum Regulares in ea Dioecesi, Parochia, Loco ubi ab Ordinario fuerint ad confessiones approbati extraordinaria, seu delegata jurisdictione poenitentiae Sacramentum administrant, et a quibuslibet peccatis absolvunt si non sint Summo Pontifici, aut Episcopo reservata; et tunc specialem ab eis facultatem absolvendi, (15) excepto mortis articulo, accipere tenentur.

423. Cum Sacramentalis poenitentia secunda post naufragium tabula dicitur, omnes fideles baptizati peccato gravi obnoxii, poenitentiae Sa-

cramentum suscipere debent, nedum ex Divino praecepto ad recuperandam gratiam, (16) sed ex ecclesiastico insimul quolibet anno, postquam ad annos discretionis (17) pervenerint; dummodo rite dispositi hujus Sacramenti effectus, Deo largiente, consequi mereantur.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremae Unctionis.

424. Unctio quae Fidelibus in extremo vitae constitutis exhiberi consuevit, merito sortita est extremae unctionis nomen.

425. Unum esse ex septem novi Testamenti Sacramentis a Christo Domino institutum, ab Evangelistis praenunciatum, et per Divum Jacobum satis expositum, et commendatum (1) certissime constat.

426. Oleum juxta utriusque Ecclesiae Disciplinam ex olearum baccis expressum, nulloque alio liquore commistum Episcopali apud Latinos in die Caenae Domini, Sacerdotali apud Graecos benedictione praeparatum, hujus Sacramenti materiam efficit: quae aptissime illud significat, quod vi Sacramenti (2) interius in anima efficitur.

427. In hujusmodi verbis Latinorum forma consistit: *per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Do-*

minus quid quid per visum » et ita gradatim per alios sensus, (3) deliquisti.

428. Non absimili forma deprecativa per plures insimul Sacerdotes utuntur Graeci: sed utraque ad unam, eamdemque Sacramenti essentiam et virtutem exprimendam variis licet verbis rectissime convenit.

429. Non alii quam Episcopi, et Sacerdotes ab ipsis rite ordinati sunt hujus Sacramenti (4) Ministri: nam illis dumtaxat ex Divina institutione ministrandi potestas demandata fuit.

430. Etsi autem valeat hoc Sacramentum a quocumque Presbytero collatum, ex nova tamen Ecclesiae Disciplina illud ministrare ordinario jure soli Parocho licet, vel uni Sacerdoti cui jurisdictionem, aut facultatem mandavit suam, (5) alias Episcopali arbitrio in refractarios, si necessitas non urget, procedatur.

431. Monachi vero, qui aliis quam Religiosis, vel suis familiaribus domesticis Sacramentum hoc ministraverint, excomunicationis Sententiam Apostolicae Sedi reservatae (6) ipso facto incurrunt.

432. Solis Fidelibus infirmis rite dispositis per poenitentiae Sacramentum, sin minus necessitate cogente religiose viventibus, praesertim qui tam periculose decumbunt ut animam proxime agentes videantur, haec Sacra Unctio adhiberi debet.

433. Ex infirmis vero excluduntur pueri ante rationis usum: quibus etiam accensendi capite

damnati, perpetuo amentes, et furiosi; nam si aliquando in illis lux rationis effulsit, utique inungendi sunt.

434. Cum Sacramentum hoc veluti poenitentiae Sacramenti perfectio habetur, obice sublato, gratiam producit, peccata si quae sint adhuc expianda, et peccatorum reliquias abstergit, Divinae misericordiae fiduciam excitat; (7) cujus efficientia tentationibus resistere, aegritudinem levius sufferre, et corporis valitudinem, si animae saluti expedierit, obtinere consulitur.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

435. Quamvis nomen Ordo coetum separatum significat, Ecclesia tamen illud determinavit ut consecratoriam actionem significaret, qua ejus peculiares Ministri ex Laicorum numero ad Sacerdotalem statu gradatim attolluntur.

436. Ordo igitur hac significatione sumptus est novae Legis Sacramentum, quo spiritualis potestas confertur ad ea quae ad Eucharistiae confectionem,. ac dispensationem (1) spectant.

437. Distinguitur tamen Ordinatio ab Ordine: nam illa est actio per quam sacra potestas tribuitur, simul ac gratia, et character in anima indelebilis: (2) unde semel valide attributa iterari non potest; iste vero est signaculum quoddam Ecclesiae quo spiritualis potestas perpetuo tribuitur Ordinato, (3)

443. Apud Graecos autem non alio exteriori, signo nisi manuum impositione, ac coerimoniis, praecibusque adjunctis majores Ordines rite conferuntur: nec eorumdem Ordinationes Romana Catholica Ecclesia tanquam rescissas; vel dubias ullo tempore judicaverit.

444. Ordinarius hujus Sacramenti Minister unus est Episcopus, ex plenaria potestate Apostolicis, eorumque successoribus Episcopis divinitus concessa (9) et Patrum testimoniis probata.

445. Extraordinario tamen jure minores Ordines dumtaxat conferunt etiam Presbyteri Cardinales in suis Titularibus Ecclesiis; sicut Pontificia Facultate intercedente, quidam Abates Regulares si tandem Ordinandus sit Regularis, (10) eorumque Subditus.

446. Mares soli jam baptizati Ordinem valide tamen suscipiunt: neutiquam vero Feminae, quibus impositum ut in Ecclesiis taceant; cum turpe sit mulieri in Ecclesia (11) loqui.

447. Pro Ordinibus autem licite suscipiendis requiritur ut Ordinandus sit in aetate legitima pro unoquoque Ordine jam constitutus: Sacramento Confirmationis roboratus: censura, vel Canonico impedimento absolutus: bonis moribus doctrinaque praeditus, et ut a legitimo sive originis, aut domicilii, vel Beneficii Ordinatore loco, temporibusque statutis, ad Titulum beneficialem, patrimonialem, aut Religiosae paupertatis (12) ad Ordines promoveatur.

448. De singulis demum Ordinibus eorumque differentiis, et gradibus cum in superiori Libro satis actum fuerit, non erit hic repetendi locus.

TITULUS X.

De Matrimonio.

449. Matrimonium est viri, et mulieris maritalis conjunctio, individuam vitae consuetudinem continens cum Divini et Humani juris, (1) communicatione.

450. Considerari etenim potest vel ut civilis contractus, vel ut Sacramentum. Quoad primum Civili potestati: quoad secundum vero Ecclesiae praeceptis privative subest.

451. Matrimonialis contractus Deus ipse fuit auctor quando Adamum, et Evam artissimo vinculo (2) sociavit; ex quo unitas oritur, cui repugnat poligamia: et indissolubilitas dimissioni, aut separationi opposita.

452. Nonnullae Solemnitates ab utroque jure praescriptae matrimonium praecedunt: ut sunt Sponsalia, Proclamationes, et Parentum consensus: aliquae comitantur nempe Parochi, Testium, et Sponsorum praesentia, aut istorum Procuratorum ad id specialiter deputatorum; de quibus omnibus singillatim breviter habendum.

TITULUS XI.

De Sponsalibus.

453. Mutuae quaedam futurarum nuptiarum promissione sponsalia dicuntur, (1) quia vir, et mulier ad invicem sibi promittunt.

454. Duplicis generis sunt Sponsalia vel de praesenti, vel de futuro: quorum ista in futuras nuptias, illa in presens matrimonium; sed mutuum liberumque consensum requirunt.

455. Sponsalia de futuro contrahuntur sponsione, aut nudis verbis aut in instrumento scriptis, literis, commissione alterius ad id specialiter designati, vel subarratione, aut annuli immissione matrimonii causa: (2) nam in his omnibus expresse, vel tacite consensus elucet, qui Sponsalia perficit.

456. Sponsalia inter personas septennio majores, et de jure habiles simpliciter (3) aut tempore praesignato, vel sub conditione contrahi possunt.

457. Si pure sponderunt Contrahentes ut se invicem recipiant, promissis stare tenentur: (4) et nisi rationabilis obstet causa moneri, vel ad terminos juris (5) poterunt compelli.

458. Quando intra certum temporis spatium paciscentur, ille per quem non steterit matrimonium celebrare, libere ad alias nuptias transire poterit.

459. Conditionata Sponsalia dicuntur si ad aliquem incertum eventum remittuntur, vel si aliquid fieri pollicetur; dummodo conditiones non sint turpes, aut impossibiles, quia tunc pro non appositis censentur. Si vero nedum turpes, sed substantiae vel naturae conjugii adversantur, matrimonialis frangitur contractus.

460. Sponsalia etiam juramento firmata dissolvuntur morte naturali, aut mutuo partium dissensu: per susceptionem Hypodiaconatus: per ingressum in Religionem: per fornicationem subsequentem; idque vero in favorem solius partis innocentis.

461. Dissolvuntur etiam per Affinitatis impedimentum subveniens, aut spiritualis cognationis: per gravem infirmitatem, aut deformitatem per longinquas profectiones unius sine alterius consensu quoad partem relictam; et per capitales inimicitias, quae inter Desponsatos (6) oriuntur.

462. Pro matrimonio rite celebrando praeter Acta a Civili jure praescripta, (7) tres Denunciationes a proprio Sponsorum Parocho in Ecclesia, inter missarum solemnia, tribus festivis diebus debent emitti super eorumdem canonica libertate: ut si nullum opponatur impedimentum, ad matrimonii celebrationem in facie Ecclesiae (8) procedatur.

463. Etsi non necessario requiruntur Denunciationes ad validitatem matrimonii, nefas erit eas omittere: imo canonicis poenis subjacebunt

Sponsi; et suspensionem ab officio per triennium incurret Parochialis Sacerdos (9) si tali matrimonio interesse praesumpserit.

464. Poterit tamen eas Episcopus dispensare ad sui judicium, et prudentiam (10) sive in totum, sive in partem, justa, et rationabili interveniente causa; praesertim si probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosae impediri posse.

465. In nuptiis vero Filiorum familias Parentum consensus, ab utroque jure praescriptus (11) si non ad valorem, ut honeste autem, ac licite matrimonium contrahatur (12) etiam requiritur.

TITULUS XII.

De Sacramento Matrimonii.

466. Matrimonialem contractum Christus Dominus ut naturalem Conjugum amorem perficeret indissolubilem unitatem confirmaret, praeberetque Spirituales vires quibus Conjugati sancte matrimonio uterentur, ad Sacramenti naturam attollit; ideoque unum esse ex novae Legis Sacramentis (1) Fides Catholica docet.

467. Sacramentum hoc gratiam Sanctificantem effundit, et quoddam jus ad obtinenda auxilia necessaria, ut Conjuges pie matrimonio utantur, ut prolem religiose possint educare, et ut singulari costantique affectu se se in Christo

prosequantur; sicut et ipse Ecclesiam suam, (2) cujus mysterii significationem habet.

468. Matrimonium tripliciter dividitur. Aliud dicitur legitimum, nempe juxta Gentium leges legitime contractum. Aliud ratum, idest ab Ecclesia approbatum, quod inter Fideles rite contrahitur. Aliud consumatum quod corporum usu interveniente facit, ut duo sint in carne una, et hoc quoad mysticam significationem perfectum dicitur.

469. Pro matrimonii validitate requiritur nedum mutuus Sponsorum consensus pure, et determinate sive verbis, sive nutu per se, aut specialem Procuratorem jam praestitus; sed et aetas in masculis annorum. XIV. in feminis XII. jam completorum, dummodo Ecclesiae judicio malitia (3) non supplet aetatem.

470. Si mutuo legitimo consensu perficitur matrimonium, Hierologia per Sacerdotem adimpleta, Sacramenti virtutem continet. Ideoque qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius licentia seu Ordinarii, et duobus, vel tribus Testibus matrimonium contrahere attentabunt, nullum, et irritum matrimonium (4) faciunt.

471. Civili societati, et Ecclesiae simul magni refert ut nuptiae publice, ac solemni ritu contrahantur; quia sic Familiarum status cognoscitur, liberorum ingenuitas clarescit, et poliga-

miae ab hominibus perditis difficillime committuntur.

472. Quamvis matrimonia *conscientiae* vulgo nuncupata ab Ecclesia raro permittuntur, satis vero cautum fuit petentium qualitates, praecipue eorum statum liberum diligenter expendi: et Denunciationibus omissis, per Parochum alterius ex Contrahentibus, vel dignum Sacerdotem ab Ordinario deputatos, coram fidis Testibus, eos in matrimonium conjungi.

473. Occulti vero matrimonii documenta omnia sigillis obsignata, in Episcopali Cancelleria diligenter ad rei gestae fidem perenniter exhibendam custodiri (5) debent.

474. Regali tamen repetito mandato apud nos sancitum reperitur, quod cuncta sic canonice disposita fideliter executioni mandentur: sed matrimonia occulte contracta, etsi juxta Ecclesiae ritum celebrata, civilibus juribus gaudere minime (6) possunt, nisi ad Sacrae Regiae Majestatis voluntatem.

475. Christianorum conjugium morte tantum solvitur: nam Christus divortium judeis ob duritiam cordis indultum penitus abrogavit, et ad primam sui institutionem matrimonium (7) restituit.

476. Licet aliquado Fidelium connubia videntur dissolvi, revera non solvuntur, sed Judiciis sententia, ob causas irritantes nulla, et invalida in radice declarantur.

477. Infideles ipsi si Christo nomen dede-

rint, post baptismum conjugati esse non desinunt. Et si plures unus duxerit, retinebit illam cum qua primitus contraxit, quando vero conjugum alter coabitare nolit cum eo qui ad fidem conversus est, vel peccati periculo eum exponit, (8) tunc Conversus poterit declinare, et cum alia conjungi.

478. Quando per mortem matrimonium solvitur, superstes Conjux ad ulteriora vota transire poterit, absque tamen benedictione nuptiali (9) Verum legitime constare debet authentica Ordinarii fide de morte prioris conjugis, (10) alias nec longissimi temporis decursus, nec ignorationis causa secunda vota excusabunt.

TITULUS XIII.

De Matrimonii Impedimentis.

479. Cum a Christo Domino Ecclesiae per ipsum fundatae amplissima tradita fuit circa res spirituales jurisdictio, et potestas, sic ipsa, matrimonio ad Sacramenti dignitatem evecto, impedimenta quaedam apposuit: (1) ut fidelibus bona spiritualia, Divina institutione eidem adnexa, tuto, religioseque possint adipisci.

480. Matrimonii Impedimenta igitur duplicis sunt generis. Quaedam nuptias dirimunt, et invalidas reddunt: quaedam vero celebratas non

dirimunt, sed nuptiarum celebrationem prohibent, ed impediunt.

481. Primi generis impedimenta ex quatuor causis obveniri possunt. I. ex defectu consensus. II. ex naturae invalidae obstaculo. III. ex respectu sanguinis. IV. ex Religionis sanctitate.

482. Ex consensus defectu oriuntur.

I. Error personae, aut ejusdem servilis status, non jam qualitatis, vel fortunae: simulatio: dementia: furor: vis, et metus tam gravis ut constantem terrefaciat virum (2) in ipso nuptiarum actu.

II. Mulieris raptus usquedum a raptore separata, in loco tuto, et libero constituta, raptorem in virum habere (3) consenserit.

483. Ad naturam obstantem pertinent.

I. Impotentia coeundi ex maleficio, frigiditate, partium mutilatione, aut perpetuo, vel respectivo corporis, membrorumque defectu, jactura, (4) morbo proveniens.

II. Ætas impuberum, dummodo non sit praecox ad generationis opus: et malitia legitimam aetatem sano judicio. (5) supplet. Senum vero, ac vetularum conjugium si nullum obstat impedimentum ob incontinentiae remedium, et senectutis levamen, adhuc ab Ecclesia (6) indulgetur.

484. Respectu sanguinis obstant.

I. Cognatio carnalis, seu consanguinitas tam in linea recta perpetuo (7) inter Agnatorum per-

sonas, quam in linea collaterali inter Cognatos ad quartum usque canonicum gradum (8) inclusive nuptias nedum ratas, sed et consumatas irritas facit.

II. Cognatio Spiritualis in Baptismo contracta non ultra baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, ac Parentes lustricos extenditur. Ea quoque ex Confirmatione contrahitur, et easdem personas ultra (9) non extenditur.

III. Cognatio legalis ex adoptione promanat, quae nuptiis obstat inter adoptatum, et filios adoptantis: soluta vero non sic nisi inter adoptantem, et adoptatum, ejusque posteros ad quartum usque gradum; sicut et inter adoptantis uxorem, et adoptatum, et vicissim, pudoris, et honestatis causa, (10) quae similes impedit nuptias.

IV. Affinitas orta ex matrimoniali copula in linea quasi recta absque limitatione recensetur: in linea vero obliqua inter consanguineos viri, et uxorem viduam, ac vice versa inter viduum, et defunctae uxoris consanguineos ad quartum usque canonicum gradum, consanguinitatis instar (11) computabitur. Inter consanguineos autem fornicantium secundum gradum (12) novo jure non exedit, si contrahendum erit matrimonium: post contractum vero superveniens (13) non dirimit.

V. Ex validis absolutisque Sponsalibus

de futuro impedimentum oritur justitiae publicae honestatis inter Cognatos Sponsorum, cum aliquo ex Sponsis ad primum gradum tantum quocumque modo in posterum dissolventur (14). Sponsalia vero de presenti cum valida, tum invalida, praeterquam ex consensus defectu, ad quartum gradum usque (15) nuptias irritas faciunt.

485. Religionis vinculum, et sanctitatem respiciunt:

I. Cultus disparitas, seu diversitas Religionis inter baptizatum, et non baptizatum. Nam sicut sine baptismo ad alia Sacramenta aditus non patet; merito laudabili Ecclesiae consuetudine impedimentum hoc inductum reperitur (16). Fidelium vero connubia cum haereticis quamvis illicita; et ab Ecclesia reprobata, non irrita (17) judicantur.

II. Ordo sacer, si variis temporibus, varie matrimonium Clericorum suspendit: apud Latinos autem post susceptum Hypodiaconatus ordinem; apud Graecos ad Diaconatum promotis, Ecclesiastico jure, nuptiae omnino vetantur (18). Clerici vero majores etsi nulliter contrahunt, excomunicationis, et irregularitatis (19) poenis subjacebunt.

III. Votum pariter emissum cum solemni professione in aliquo ex Institutis a Sede Apostolica probatis nuptias reddit invalidas. Nam si matrimonium ratum Professio religiosa jam solvit, cum solemniter Conjuges castitatem profi-

tentur: magis ergo praevia solemnis Professio subsequens matrimonium (20) dirimit.

IV. Ex institutione Divina nuptiarum vinculum firmiter habetur sive ratum, sive consumatum sit matrimonium: ex quo neutri fas erit secundas valide nuptias inire donec ambo Conjuges vivunt (21). Superstiti vero cum sit canonicae libertatis compos ad alia vota transire non prohibetur (22). Mulieri tamen apud nos intra decem viduitatis menses, dummodo in id tempus enixa non fuerit, interdictum (23) manet.

V. Si matrimonium absque praesentia proprii Parochi, et duobus, vel tribus Testibus contrahatur Clandestinum vocatur, et ex Canonico novo jure (24) irritum redditur: quia his rite praesentibus in facie Ecclesiae tunc Sponsi contrahere dicuntur.

VI. Conjugis homicidium animo superstitem desponsandi, aut adulterum cum mutua nuptias contrahendi promissione post Conjugis mortem; vel homicidium cum adulterio insimul absque jugalis foederis pollicitatione; sicut et adulterium attentato matrimonio sociatum jugali tamen vinculo persistente impedimentum pariunt, et matrimonium dirimunt (25) si attentare praesumitur.

486. Impedimenta igitur dirimentia hoc ordine superius notata, hisce versibus ad memoriae facilitatem clauduntur.

Personae ac Status error : mens simulata , furensque :

Vis raptusque : impubertas: et debile corpus:

Stirps cognata : vel affinis : Sponsalis honestas :

Dispar cultus : et Ordo sacer: professio claustri :

Stans foedus : vel clandestinum : et crimina bina.

Impediunt semper , dirimuntque jugalia vincla.

487. Secundi generis Impedimenta, quae futuras impediunt nuptias praeteritas vero non dissolvunt ab utroque jure antiquitus , etsi plura sancita leguntur , nova tamen Ecclesiae Disciplina versiculis subsequentibus continentur.

Ecclesiae vetitum , nec non tempus feriatum ,

Atque Cathechismus, Sponsalia, jungito votum :

Impediunt fieri , permittunt juncta teneri :

488. Dicitur primo Ecclesiae vetitum , cum Episcopus , aut Judex alius ecclesiasticus ad tempus interdicit ne matrimonium contrahatur , donec constet an vere , nec ne impedimentum aliquod substit ; (26) ex quo non est peculiaris impedimentorum species , sed genus quod singillatim cunctas complectitur.

II. Feriarum tempus, quo nuptiarum solemnitas prohibentur, et si priscis temporibus magis extendebatur, (27) jure novo ab Adventu Domini nostri Jesu Christi, usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum, usque in Octavam Paschatis inclusive definitum restat: (28) cum sint dies luctus, et ab Ecclesia poenitentiae addicti.

III. Inter Catechistas, et Oblatos ex responsionibus olim ad Ecclesiae januas in Baptismo prolatis, Catechismi impedimentum oriebatur: nunc vero (29) jam exoletum. Subrogari tamen debet Catechismi necessitas pro rudimentis Fidei addiscendis, sine quibus nuptias (30) inire non patitur.

IV. Sponsalia de futuro jam inita nisi jure, aut Judicis sententia solvantur impediunt ne cum altera matrimonium contrahatur; (31) per verba vero de praesenti contractum ratum istud (32) habetur.

V. Simplex castitatis votum sacrorum susceptionis Ordinum vitam profitendi Religiosam, aut ingressus in Religionem matrimonium contrahendum impediunt, sed contractum non dirimunt (33) quamvis illicitum reddunt.

489. Ex dictis igitur quatuor Impedimenta hodie tantum vigent, uno sequenti versiculo comprehensa.

Sacratum tempus: Vetitum: Sponsalia: Votum.

TITULUS XIV.

De Impedimentis matrimonialibus tollendis.

490. In matrimoniis contrahendis, vel contractis si per legitimam Potestatem impedimenta, quae obstant relaxantur, vulgo dicitur Dispensatio.

491. Impedimenta dirimentia igitur, quae ex naturali, Divinoque jure promanant tollere nemo potest: reliqua vero Humano jure constituta, perpensis Contrahentium qualitatibus, locorum diversitate, Graduum conjunctione, et causarum gravitate plus minus relaxantur.

492. Primi generis sunt, quae oriuntur ex consensus defectu, naturae obstaculo, constanti adhuc matrimonii foedere perfecto, ac primo consanguinitatis gradu (1) caetera ab Humano jure variis temporibus inducta sanguinis vinculum, et sanctitatem Religionis respiciunt.

493. In illis humano jure sancitis, plenarie relaxandi facultatem obtinet Romanus Pontifex (2) qui supra quaslibet humanas, et canonicas Leges eminet; etsi aliquando neutiquam uni eorumdem et alteri (3) indulgere consuevit.

494. Causae generatim sumptae ad tollenda matrimonii impedimenta tres numerantur pietatis, necessitatis, et utilitatis respectu pro personae, rei, ac temporis conditione; nam absque legiti-

ma causa Dispensationes postulari, et concedi (4) non debent.

495. Speciales autem causae, maximeque comunes quae Summo Pontifici submittuntur pro obtinenda super matrimonii impedimentis dispensatione videntur: mulieris infamia ob copulam, aut gravem familiaritatem jam secutas: loci, vel locorum angustia: deficientia aut incompetentia, vel augumentum dotis: mulieris aetas XXIV. annum ultra: litium et discordiarum sedatio: Familiae illustris conservatio: mortis ejus, que periculi evitatio; matrimonium cum occulto impedimento, rite vero celebratum: orthodoxae fidei bonum, aut excellentia in Ecclesiam meritorum; et aliae si quae sint hujus generis momentosae.

496. Pontificiae dispensationes aliae publicae pro utroque Foro per Datariam, et ex urgentioribus causis, vel stricta Graduum proximitate, per Secretariam Brevium: aliae vero occultae pro interno, et Sacramentali Foro dumtaxat, (5) per Sacram Poenitentiariam conceduntur.

497. In utrisque vero si falsum fuit expositum, aut aliquid exprimendum reticitum extat, invalida redditur Dispensatio: et matrimonium ex vi illius contractum ob vitium subreptionis, vel obreptionis irritum evadit, ac nova indiget (6) dispensatione.

498. Simplicia impedimenta, aliaque matrimonio contracto supervenientia, ac ejus usum

impedientia ab Episcopo fere tolluntur: voto puro tantum excepto perpetuae castitatis, aut ingrediendi Religionem; ac etiam jure ex anterioribus juratis Sponsalibus de futuro (7) alteri mulieri jam quaesito.

499. In impedimentis autem jure Ecclesiastico dirimentibus neutiquam ordinarie Episcopo fas erit dispensare: extraordinarie tamen potest pro Foro conscientiae tantum: dummodo gravissima necessitas adsit quae dilationem non patitur, et impedimentum sit occultum, matrimonium vero publicum rite, bonaque fide saltem ex parte unius, contrahendum, vel contractum; nam quod non est licitum in Lege, necessitas (8) facit licitum.

TITULUS XV.

De Divortiis.

500. Divortii nomen in re Ecclsiastica venimatrimonii dissolutio, quae utroque vivente cont juge sequitur quoad vinculum, vel thorum, aut istud, et cohabitationem simul.

501. Si matrimonium ratum tantum existit dupliciter dissolvitur matrimoniale vinculum: aut per unius ex conjugibus Monasticam professionem in aliqua approbata Religione jam emissam: (1) et tunc alteri remanenti licet novas nuptias inire; secus vero per sacri Ordinis susceptionem; (2)

vel per Pontificiam dispensationem: ita ut sejuncti conjuges matrimonium cum aliis inde contrahere possint.

502. In matrimonio perfecto si inter baptizatos habetur, nullo modo, neque ab ullo divortium fieri, vel permitti potest (3). Inter non baptizatos autem sequitur dumtaxat, quoties unus conjugum baptizatur, et alter baptizari renuit, aut non sine Divini nominis blasfemia cohabitationem expetit, tunc ad alia vota fidelis (4) libere transire poterit.

503. Ad dissolvendum matrimonium sive ratum, sive consumatum cum impedimento dirimente jam contractum, necessario requiritur Judicis ecclesiastici sententia, qua jugalis vinculi nullitas declaratur: cum nec mutuo consensu, nec unus alterum dimittere valeat; etsi de praecedenti impedimento securi sint conjuges, aut illud notorium (5) existat.

504. Divortium vero, sive conjugum separatio quoad thórum, seu quoad cohabitationem tam in matrimonio rato, quam consumato, ex comuni consensu fieri potest si ambo religionem profitentur: aut vir majores Ordines recipit, et mulier ad Regularem observantiam se voto adstringit; vel unus Monasticam professionem, votum castitatis alter (6) intra certum definitum tempus emittunt.

505. Conjuge invito nulla admittitur separatio absque canonicis praecedentibus causis: in-

ter quas ex nova Ecclesiae Disciplina speciatim habentur.

I. Adulterium unius, quoties alter innocens nec condonavit, nec jucunde, aut familiariter se praebuit, unde nocenti condonasse (7) tacite saltem videtur.

II. Haeresis, vel Apostasia a fide quovis modo notorie peracta: aut scandalum uni ab altero illatum ad grave scelus committendum si emendatio vera nullimode (8) adest.

III. Saevitia unius cum alterius vitae periculo, aut gravis damni corporalis timor (9) donec cautio, et securitas non praestetur.

506. Quacumque tamen existente causa satis usque probata, nisi publica auctoritate, et Judicis sententia ad thori, vel cohabitationis separationem (10) minime procedatur.

TITULUS XVI.

De Ecclesiis.

507. Ecclesiae vox saepius usurpatur ad significandum civilem, ac politicum Conventum: usu vero Ecclesiastico ad Christianorum Societatem designandam habetur; hic tamen pro Loco peculiari recipitur, in quem Fideles Divini cultus exercitatione (1) conveniunt.

508. Etsi immensitas Divina loco haud concluditur, magni tamen refert, ut in locis specia-

liter Deo dicatis Fideles Sacrorum audiendorum, et precum agendarum causa pie, devoteque convenirent, ubi aliorum objecto, et exemplo animus ad coelestia magis excitetur, et erigatur; ibique fidelium vota benignius a Domino speciali modo (2) suscipi, et exaudiri mereantur.

509. Summa igitur Ecclesiis veneratio debetur; hinc omnia quae profanationem, aut irriverentiam erga res sacras pariunt, et populum ab oratione, pietateque avocare possent, ab eisdem arceri (3) penitus oportet.

510. In hoc praesertim Ecclesiarum consistit immunitas sive sint consecratae, sive tantum benedictione praecedente in his Divina celebrantur mysteria; nam apud nos tam in civilibus quam criminalibus causis, ne hominum nequitia Religionis velamine tutaretur, jus Asyli, sacrarum functionum tempore excepto, penitus sublatum videtur.

511. Varia nomina sortiuntur Ecclesiae. Nuncupantur Cathedrales ubi sedes Episcoporum adsunt (4) Collegiatae, quae Capitularem Comunitatem habent insignitam, secus Episcopi Cathedram. Matrices, quae in eodem Loco aliis Ecclesiis aliquo modo praeficiunt. Parochiales, in quibus ab uno Rectore Presbytero, sub Episcopo, animarum cura certis limitibus exercetur. Filiales demum, quae per divisionem de novo fundantur, aut alteri Ecclesiae subjiciuntur.

512. Ad Ecclesiam excitandam Episcopi

auctoritas, justa praecedente causa, nedum exigitur, sed Regia Facultas necessario in hoc Regno debet impetrari (5). Ædificatio verum nunquam permittitur nisi prius donatio authentica tribuitur pro decenti Cultus exercitatione, et inservientium stipendio Clericorum; (6) si cordi sit Episcopo, ut ad sarciendam dotem (7) obligari non sinat.

513. Si vero Ecclesiae aedificandae Regularium Monasterium adjungitur, ultra Regium, et Episcopalem consensum requiritur etiam Apostolica licentia: ibique tantum constituitur Regularium numerus; ac in posterum conservatur, qui vel ex reditibus Monasterio addictis, vel ex consuetis aelemosinis (8) commode possit sustentari.

514. In Ecclesiarum existentium praejudicium praesertim Parochialium novae construi non debent Ecclesiae, nisi ob incrementum populi ut illius curae impar una sit Ecclesia; vel etiam per commoditatem plebis si ejusdem pars adeo a Parochiali distat, ut certis anni temporibus difficulter, aut periculose illam adire, ibique Divinis interesse, (9) et Sacramenta percipere possit.

515. Quando Ecclesia noviter aedificata Parochialis costituitur, ex praesistentibus reditibus congrua praestetur portio, cum juris patronatus reservatione, aut subjectionis, et honorificentiae qualitatibus, servata Erectionis forma. Antequam vero aedificium inchoetur, quibus nunciandi jus est, audiendi (10) pariter erunt.

516. Ecclesiarum aedificatio nullatenus ordienda nisi ab Episcopo, aut de sui licentia ab alio Sacerdote solemnes preces persolvantur: humi figendo Crucem, et aqua lustrali aream aspergendo (11) In easdem vero Divina Officia celebrari vetantur, donec illae per Episcopum consecrentur, aut de ipsius licentia, per Presbyterum in illis publice benedictio (12) adhibeatur.

517. Pollutae remanent Ecclesiae homicidio, injuriosa humani sanguinis, vel seminis effusione, ac Ethnici, Haeretici, vel notorii Excomunicati humatione, et nisi ab Episcopo reconcilientur si consecratae, vel per Sacerdotem delegatum si benedictae dumtaxat, sacra mysteria in eisdem celebrare nefas, a jure sancitum (13) reperitur.

518. Collapsae demum, vel ruentes Ecclesiae, ex earum reditibus, et proventibus quibuscumque (14) refici debent: deficientibus iis Beneficiatorum, vel Patronorum sumptu; et in eorumdem defectum, aut inopiam si Ecclesia Baptismalis habetur, Parochiani omnes, implorata Regis venia, Collectas conferre (15) pro reparatione, aut instauratione tenentur.

TITULUS XVII.

De Sepulturis.

519. Sepultura dicitur locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo Catholicorum pie decedentium cadavera (1) sepeliuntur.

520. Etsi priscis Ærae Christianae temporibus in privatis Sepulcris: Cryptis, et Cathacumbis Christianorum cadavera sepeliebantur, Soeculorum cursu, eo quod Episcopi, hominesque illustriores in atriis, porticis, et exedris saepius humarentur, (2) jure, ac consuetudine usus invaluit in Ecclesiis Fideles omnes sepeliri: ut defunctorum proximi ibidem venientes, suorum recordarentur, et pro eis Domino preces (3) fundere curent.

521. Cum christiana sepultura tamquam pars Ecclesiasticae comunionis habetur, merito qui sibi sepulturam eligit, in ea sepeliri debet; nulla tamen (4) facta electione, in sepulcro Majorum suorum: eoque deficiente, in illo Parochialis Ecclesiae in qua Defunctus Sacramenta recepit tumulari (5) statuitur.

522. Clerici Saeculares itidem si nullam elegerint sepulturam, et familiari sepulcro carent, in illo eorum Ordini addicto, vel in propria Parochia sistente tumulantur.

523. Beneficiati autem si nihil de eorum de-

positionis loco disposuerint, in Ecclesia ubi Beneficium possident sepelientur.

524. Regulares demum, qui voluntatem non habent, apud proprium monasterium humari debent: nisi alio quis moriatur itaut Cadaver (6) ibi facile deferri non possit.

525. Idem ordo servandus quando nec electio praecessit, nec Majorum monumentum extat: tunc uxor cum viro, liberi cum Parentibus; alias in eorum Parochiali Ecclesia (7) tumulandi erunt.

526. Pro exequiis celebrandis, et Sepulturae loco ne quid exigi possit, satis a jure vetitum: sed piarum dumtaxat oblationum consuetudines servare (8) permittitur

527. Fuit inde statutum ut ex quibuscumque obventionibus, quas voluntarie Defunctus Ecclesiae reliquerit ubi tumulari disposuit, Paraeciae propriae, ob spiritualem curam Defuncto impensam Quarta Funeraria, sive canonica Portio (9) tribuatur.

528. In hoc Regno dicta canonica Portio jam exulat: et quocumque quis loco humatur, cadaver benedicere, et associare Parochus debet tenui retributione assium viginti quinque; pauperum Exequiis semper exceptis. Cum penes Heredes sit an, et quot Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares, aut Confraternitates pro comitando Funere vocare (10) voluerint.

529. Sepultura Ecclesiastica solis Fidelibus conceditur si a jure non prohibetur: (11) Dene-

ganda igitur infidelibus, haereticis, schismaticis, excomunicatis, interdictis, infantibus non baptizatis, in duello vel propria manu interemptis, Sacramentorum contemptoribus, Paschali praesertim tempore, cunctisque impenitentibus notoriis voluntarie ex hac vita (12) decedentibus.

530. Hi omnes sepultura, et precum fructu privantur: ut eorum memoria oneretur infamia, et viventibus ad resipiscendum terror incutiatur.

TITULUS XVIII.

De Rerum Ecclesiasticarum.

Acquisitione, Administratione, Usu, et Alienatione vel non.

531. Ex triplici fonte Res Ecclasiae promanant: nempe Oblationibus, Decimis, et immobilibus Bonis.

532. Oblationes dicuntur Fidelium largitates, quae pro Ecclesiarum, earumque Ministrorum usu, et Divini cultus exercitatione sive ad Altare, sive extra Sacrificium, aut quocumque alio modo (1) pie, ac voluntarie deferuntur.

533. Ab Ecclesiae incunabulis exordium habuere ad comparandum quid quid pro Eucharistico Sacrificio, Clericorum sustentatione, Pauperum stipe, Confessorum in Carceris squalore degentium alimonia necessario (2) expediebatur.

534. Novo autem jure Oblationes omnes pro animarum cura Parochis speciatim demandata, ad Parochialem Ecclesiam omnimode spectant; nisi ex Offerentium voluntate statui secus (3) dignoscatur.

535. Sequuntur Decimae in Ecclesiam a Judeis primum introductae cum Christiani fierent: nam Decimas, et fructuum primitias ex veteri Lege (4) offerre Deo impositum eis erat.

536. Quamvis non strictim decima pars fructuum, et frugum, sed plerumque juxta receptos Locorum mores minus praestatur, dividuntur tamen Decimae in praediales, quae ex praediorum fructibus deducuntur: in personales, ex industria, et arte; et in mixtas, quae ex praediis et industria simul (5) provenire dignoscuntur.

537. Vario tempore, variis modis earum exactio distributa remansit: crebro Episcopis, frequenter Capitulis, quandoquidem Regularibus; (6) stricto tamen jure illi debentur Parochiali Ecclesiae, in qua Sacramenta Fideles (7) recipiunt.

538. In hoc Regno autem penitus obrogatae videntur: (8) nam pactis inter Pontificiam, et Regiam Potestatem novissime conventis, Regalibusque repetitis Ecclesiarum Cathedralium, Regularium, et Parochialium bono satis provisum (9) habetur.

539. Ecclesiastici Patrimonii major pars ex immobilibus costituitur Bonis religione Principum, pietate Fidelium, sive ex largitione inter vivos,

sive ex testamento Ecclesiis persaepe relictis.

540. Ecclesia igitur paeceptis Christi Domini fundatoris ejus edocta nil aliud (10) antiquitus solis Episcopis imposuit, ac singulis Administratoribus temporis decursu sedulo praecipit, nisi Bonorum suorum conservationem, rectam reditum exactionem; ac strictam, piamque eorumdem dispensationem: ut Christianae Religionis officia, ad mentem Offerentium (11) adimpleta remaneant.

541. Hinc saepius impositum videtur, ac repetitum, ut cujuscumque generis fructus, ecclesiasticique proventus in excitandis, reparandisque Ecclesiis, inservientium Clericorum praebendis, Pauperum alimentis, aequa lance, omnimode (12) dividantur.

542. Cum autem abusus irrepserit vacantium Ecclesiarum Bona saepius diripi, quin minus in malam frugem ire; (13) Regia tunc invaluit custodia ut pellerentur fraudes, inservientes Clerici obventiones acciperent, et reditus acervati fideliter successoribus Beneficiatis servarentur.

543. Apud nos ideo vacantium Ecclesiarum reditus primum Ballivorum; aut trium Clericorum vacantis Ecclesiae cura: Regiorum inde Œconomorum ministerio tutabantur; modo vero Diaecesanae Administrationis procuratione (14) sedulo custodiuntur.

544. Si Ecclesiae Bona recte, fideliterque conservari, et administrari debent, ut Clerici, et Pauperes vivant, ac Cultus sacer sustineri possit,

jure cautum, ne cuique alienationi, permutationi, censuationi, hipotecae, donationi, aut cuicumque convensioni, per quam dominium transfertur, (15) in minimum subjaceant.

545. Eorumdem alienatio permittitur dumtaxat, si necessitas, aut pietas, vel utilitas Ecclesiae intercesserit: assensu tamen Summi Pontificis accedente; Episcopi vero, cum Capituli Majoris Ecclesiae consensu si Res Ecclesiastice parvi sint valoris, aut servatae corrumpuntur vel inminenti periculo (16) minitantur.

546. Regni autem jure requiritur etiam Capituli sive Cleri consultum, vel Administratoris aut Beneficiati consensus, et si de Jure Patronatus Beneficium exstat Patroni pariter voluntas: juridica Episcopi approbatio: licitationum per Civilem Provincialem Audientiam expeditio ejusdemque Omologatio, ac demum Regalis Assensus antequam ad Actum aliquem translativum procedatur.

547. Et si qualitates praedictae defecerint, nec ratae alienatione habentur, nec acquirentes, eorumque heredes, vel longissimi temporis possessione, de Rebus, aut Bonis adeptis tuti esse possunt: imo beneficium restitutionis in integrum (17) Ecclesiae adhibere permittitur.

TITULUS XIX.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Esse, et Divisione.

548. Bonorum ecclasiasticorum particulae cuique Officio, et sacro ministerio addictae, Beneficii nomine distinguuntur.

549. Beneficium Ecclesiasticum igitur est jus spirituale perpetuum ecclesiasticos reditus percipiendi, propter sacrum, et ecclesiasticum Ministerium, auctoritate Ecclesiae (1) constitutum.

550. Juxta Canonistas ideo principaliter in jure reditus percipiendi, et accessorie in jure ministrandi, aut Officium obeundi Beneficii essentia consistit. Ad Theologorum mentem vero non sic, sed in jure ministrandi primo, et percipiendi accessorie dicitur.

551. Beneficia Ecclesiastica multiplicia sunt et varie dividuntur.

552. Inspecto ministerio, Beneficia alia sunt majora, alia minora.

553. Majora sic nuncupantur ex plenitudine potestatis, et sacrae jurisdictionis, quibus sunt praedita; uti Papatus, Cardinalatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Praelaturae, et Abatiae cum quasi Episcopali jurisdictione. Reliqua minora dicuntur ad majora respectu habito: et dividuntur in Dignitates, Personatus, et Officia.

554. Dignitatibus ecclesiastica inheret perpe-

tua administratio, cum aliqua jurisdictione. Personatibus affixa est praeeminentia post Dignitates absque ulla jurisdictione. Officiis demum alligata remanet administratio, absque jurisdictione, et praeeminentia, praeter illam ex possessus ansianitate (2) provenientem.

555. Dividuntur itidem in Curata, cum animarum Cura: in Residensialia, cum residendi honeri; et in simplicia, sine residendi obligatione. Ex quo dicuntur vel compatibilia, quae simul ab uno retineri possunt: et Incompatibilia, quorum simultanea retentio uni prohibetur.

556. Inspectis personis conferentibus, nuncupantur reservata, vel affecta, quae nimirum ad Pontificiam pertinent collationem, et non reservata, vel Affecta, sed inferioris Collatoris (3) jurisdictioni subsunt.

557. Dividuntur etiam in Electiva, quae per aliquorum legitimam electionem tribuuntur. In Patronata, ad Patronorum nominationem, et praesentationem spectantia. Et in Collativa, quae ad liberam Ordinarii, aut alterius collationem attinent; et conferuntur vel in titulum, ad vitam cum juris plenitudine, vel in Commendam (4) solius administrationis, aut custodiae causa.

558. Inspectis denique personis quibus conferuntur sunt, vel Regularia, quae nonnisi Regularibus professis: vel Saecularia, quae Saecularibus dumtaxat Clericis extra Claustra degentibus (5) conferri debent.

TITULUS XX.

De Fundatione, et Erectione Beneficiorum.

559. Fundatione fiunt ecclesiastica Beneficia: fundatio tam aedificationem, quam sufficientem dotationem complectitur; eaque fit voluntate Fundatoris scripta, qui libere in limine fundationis quascumque conditiones, juri Divino, vel bonis moribus haud adversantes, praescribere potest: quae si ab Ordinario concordatae fuerint et admissae, (1) debent integre observari.

560. Beneficii ecclesiastici fundationem perficit Erectionis Decretum, scilicet voluntas, et approbatio Ordinarii Loci ratione rei sitae ecclesiasticum Officium, aut sacrum Ministerium praescribendo.

561. Ex quo nulli dubium tria pro Beneficii ecclesiastici essentia necessario requiri, nempe officium sacrum, perpetuitatem, et ecclesiasticae Potestatis assensum: quorum unum si desit, laicalis Capellania dicitur (2) sive legatum pium appellatur.

562. Ecclesiae Cathedralis erectio ad Sedem Apostolicam omnimode spectat (3) Collegiatae vero Ecclesiae jure comuni ad Episcopum, ex consuetudine tamen ad summum Pontificem; et nil praeter Synodaticum in signum subjectionis annuatim praestandum, Loci Episcopo debetur.

563. Sine titulo alicujus Sancti erectio Be-

neficii consistere non potest: qui saepe accipitur pro ipsa Ecclesia, vel Cappella, aut Ara alicui Sancto dicata, ad piorum Fidelium tutelam, et patrocinium obtinenda.

564. Cum spiritualia minime locum occupent, nil implicat, ut in una Ecclesia, eodemque Altare plura erigantur Beneficia: quamvis naturae diversae, et cum oneribus diversis, ac conditionibus.

565. Per quadragenariam observantiam Beneficiorum qualitates fere mutantur, sed in diubiis dumtaxat: quando vero ex eorumdem fundatione, erectione, aliisque constitutionibus certa illis onera injunta videntur, non derogatur eis (4) nisi tempus immemorabile currit.

TITULUS XXI.

De Unione Beneficiorum.

566. Beneficia jam fundata, et erecta per unionem aliquando mutantur, augentur, diminuuntur, supprimuntur.

567. Unio est Ecclesiarum, seu Beneficiorum ab Episcopo, vel alio Superiore facta conjunctio: non temporanea, sive ad vitam, sed perpetuo duratura; (1) quia non personae, sed Ecclesiae, aut Beneficii utilitati indulgetur.

568. Tribus modis unio fieri potest: exstintive, subjective, et aeque principaliter; sive

confusione, subjectione, et aequali conjunctione.

569. Extintiva dicitur unio si duae, pluresve Ecclesiae, vel Beneficia in unum veluti corpus cohaerent, et Beneficium sic noviter erectum utriusque juribus, et privilegiis utitur, onere pariter sustinendo; sicut et si unum penitus supprimitur, ejusque reditus, et onera alteri adnectuntur (2) existenti.

570. Subjectiva itidem uniti Beneficii titulum extinguit, et alteri uti superiori, et principali subjicit: manentibus vero reditibus, qualitatibus, et oneribus illi cui fit unio, (3) jam adnexis.

571. Æque principalis demum singulis Ecclesiis, aut Beneficiis unitis statum suum nempe titulum, dignitatem, jurisdictionem, omniaque jura cum singulis honoribus, et oneribus conservat, ac si essent duae Ecclesiae, vel duo Beneficia sub unius Rectoris regimine; (4) quae passim in Cathedralibus dumtaxat Ecclesiis usurpatur.

572. Legitima deficiente potestate frustra Uniones peraguntur. Ecclesias igitur, et omnia ecclesiastica Beneficia Romanus Pontifex pleno jure conjungit; sed privative eidem reservata remanet Cathedralium Ecclesiarum, ac Beneficiorum Consistorialium (5) cohadunatio.

573. Ecclesias, et inferiora Beneficia non exempta, ordinaria auctoritate adnexit Episcopus in sua Diaecesi: sicut, et Capitulum Sede Episcopali vacante, exceptis his ad liberam Epi-

scopi collationem spectantibus; non jam Praelati, et Abates, licet ordinariam habeant jurisdictionem: nisi Apostolicum super hoc (6) privilegium obtinuerint.

574. Ecclesiarum, et Beneficiorum conjunctiones, necessitate, utilitate, legitime praecedentibus exequuntur: (7) obtento pariter eorum quorum interest: ac Capituli consensu; quod si aliter fiat rescindi (8) a jure mandatur: sicut et ecclesiastico Superiori pro omnibus iis, servata forma juris custodia exacte praescribitur.

575. Nec omnia, Beneficiis omnibus adnectere licet, sed minus dignum unionem patitur, digniorique conjungitur: uti simplicia Residentialibus, Curatis aliisque majoris, aut saltem aequalis gradus, (9) et qualitatis.

576. Neutiquam vero Mensae Episcopali, Capitulari, vel Conventuali; Simplicibus Beneficiis exceptis, quae Seminariis, Parochiis, et Canonicatibus adnecti aliquando fas erit: nunquam vero unius Diaecesis Beneficia alterius Beneficiis adjungantur: (10) ne ecclesiasticus Ordo in minimum turbari videatur.

577. Eadem potestate, iisdem causis, et solemnitatibus Ecclesiarum ac Beneficiorum conjunctio dissolvitur: nam etsi eorumdem divisio generice prohibetur, justa tamen interveniente causa dissociatio fieri permittitur, cum regressu ad primeva jura; (11) nisi aliud extat in conjunctione statutum.

TITULUS XXII.

De Assiduitate et Incompatibilitate Beneficiorum.

578. Cum ad sacrum Ministerium obeundum Beneficia instituta sint, necessario personalem requirunt assiduitatem, (1) Residentiam vulgo dictam.

579. Etsi antiquitus Beneficiarii omnes ex generali ecclesiastica regula Ecclesiis suis firma immorandi lege tenebantur: novo tamen jure, ut majoribus malis jam in Ecclesiae damnum crassantibus occurrere possit, nedum Episcopis, sed Cathedralium, et Collegiatarum Dignitatibus, Personatibus, Canonicis, animarumque Curatoribus perpetuum residentiae vinculum renovatum, (2) imo strictioribus poenis impositum fuit.

580. Ex minorum interim Beneficiorum omissione, et silentio constanter usus invaluit, neutiquam inferiores Beneficiarios ad residentiam vinciri; ex quo eorum Beneficia simplicia (3) dici consuevere.

581. Beneficiarios itaque sive Curatos, sive Residentiales dictos in suis Ecclesiis ad personalem residentiam obstringi, stricti juris efficitur; nisi christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitates eisdem aliquando abesse (4) permittit.

582. Justa tamen interveniente causa, Dimissorialibus Ordinarii Literis roborata, si quis eorum per aliquod tempus abfuerit Beneficii fructus tantum percipere potest, non jam quotidianas Distributiones, quae solis laboriosis Interessentibus largiuntur: exceptis iis, quos gravis infirmitas, seu rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas (5) excusaret.

583. Quod si post bimestre pro Curatis, trimestre vero spatium pro Canonicis, et Dignitatibus, sine justa causa legitime probata, nonnulli eorum irresidentes evaserint censuris, fructuum subtractione, ac triennio elapso Beneficii privatione, ab Ordinario, remota (6) appellatione, cogentur.

584. Episcopi autem quacumque praeminentia, vel dignitate praefulgeant, si extra suam Diaecesim sex continuis mensibus morabuntur, quartae partis fructuum privationem fabricae Ecclesiae, vel pauperibus per ecclesiasticum Superiorem applicandorum, ipso jure incurrent; crescente vero contumacia Deum ultorem habebunt, et severioribus poenis ab Apostolica Sede, (7) prout contumacia exegerit, subjicientur.

585. Ex residendi onere, et sacra ministeria obeundi, sive difformia, sive uniformia sint Beneficia, incompatibilitatem patiuntur: cum eodem actu duo munia exerceri non possint; ac singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigunt (8) personalem.

586. Plures igitur ab uno Ecclesias, vel ecclesiastica Beneficia simul obtineri, vel retineri quovis tempore ab Ecclesia vetitum; ita ut ex secundi Beneficii assecutione, fere vacatio prioris emanat.

587. Beneficiorum incompatibilitas oritur ex Cura, et Residentia uniuscujusque Beneficii, quibus illud erigitur: vel ex eorumdem etsi compatibilium pluralitate, quorum unumquodque ad congruam Beneficiarii sustentationem sufficit; aut ex illorum existentia intra eamdem Ecclesiam sive sint uniformia, sive difformia (9) quoad officia, et onera eisdem addicta.

588. Ob Ecclesiae necessitatem, et utilitatem pluralitas Beneficiorum assequi potest, vel a Romano Pontifice plenaria sua auctoritate, cujuscumque sint gradus, et qualitatis: aut ab Episcopo, dummodo Simplicia sint Beneficia; non ultra tamen duo, et ad Clerici sustentationem insufficientia: secus vero in his de jure patronatus, quae institutione (10) non jam collatione obtinentur.

TITULUS XXIII.

De Collatoribus Beneficiorum, et Beneficiariis.

589. In re Beneficiaria non aliud dicitur Collatio, nisi vacantis Beneficii concessio ab iis qui ecclesiastica potestate gaudent libere, ac legitime facta.

590. Beneficia ecclesiastica igitur triplici jure conferri posse nempe plenario, delegato, et ordinario pro comperto habetur.

591. Plenarie jure Summus Pontifex omnia prorsus Beneficia tam majora, et reservata, quam minora, tamquam universalis bonorum omnium ecclesiasticorum Dispensator, procul dubio conferre: imo cum quibuslibet Collatoribus concurrere potest; eosdemque intra tempus ipsis concessum ad conferenda Beneficia (1) praevenire.

592. Delegato jure Cardinales, Apostolicae Sedis nomine, intra Ecclesiarum, et Dioecesum fines suarum generali utuntur indultu conferendi Beneficia etiam reservata, et affecta: dummodo unica reservatio adsit, vel affectio (2) eorumque valor annuus viginti quatuor ducatos aureos de Camera non excedat.

593. Idem indultum Legatis, et Nunciis Apostolicis conceditur: (3) itemque Principibus aliquando, et Regibus; prout speciatim habetur in hoc utriusque Siciliae Regno, ubi Rex noster delegatum jus Pontificium habet conferendi quaedam Beneficia Regio Diplomate sine ulla per Pontificem, aut Epircopos, (5) Bullarum expeditione.

594. Ordinario demum jure Episcopi, aliique Praelati Territorium, et jurisdictionem quasi Episcopalem habentes Beneficia conferunt non reservata, et affecta in propria Dioecesi (5) fundata, et erecta.

595. Cathedralis Ecclesiae Capitulum Episcopali Sede vacante, non jam Beneficia libera, sed illa dumtaxat ad simultaneam cum Episcopo collationem spectantia, Poenitentiali Praebenda nimirum excepta conferre potest; sicut, et a Patronis praesentatos Beneficiarios, libere pariter (6) instituit.

596. Generalis Episcopi Vicarius tandem Commissionie vigore sibi generaliter factae, si Beneficiariam Institutionem exercet, nunquam vero Collationem, aut Renunciationis admissionem: dummodo ipsi collatio, aut renunciationis admissio (7) sint specialiter commissae.

597. Collatores nedum, sed et Beneficiarii omnes idoneitatem, et qualitates a jure requisitas habere debent ut valide, ac licite Beneficia consequi possint.

598. Solis igitur Clesicis saltem prima Tonsura initiatis, ex antiqua, et nova Ecclesiae Disciplina Beneficia conferri pneunt: (8) nisi ex sui institutione, aut in fundatione majorem Ordinem requiri statutum reperitur.

599. Laici vero absque Pontificia dispensatione ad Beneficia obtinenda inabiles omnino existunt. Possunt tamen a Beneficiorum Patronis nominari, et praesentari, sub conditione Clericatus vero quam primum (9) verificanda.

600. Inabiles, et incapaces ad ecclesiastica Beneficia assequenda redduntur: Haeretici, eorumque fautores, Receptores, Defensores: nec

non eorum Filii, et Nepotes; sicut et ad eorum preces scienter (10) Beneficium obtinentes.

601. Vinculo suspentionis, aut interdicti pariter, vel majoris excomunicationis irretiti; et Collator praeter minorem excomunicationem quam incurrit, ab ejusdem Beneficii collatione ipso jure suspenditur. Si vero minori excomunicato confertur Beneficium, collatio non erit irrita, (11) sed per Judicis sententiam irritanda.

602. Irregularitate itidem obnoxii: Infames notorietate juris: Simoniaci: Clerici uxorati (12) eadem inhabilitate laborant.

603. Legitima etiam deficientes aetate: cum nemo ad Dignitates quascumque; quibus cura subest animarum promoveri potest, nisi XXV. aetatis annum attigerit. Ad caeteras autem Dignitates, Personatus, et Officia in Cathedralibus absque animarum Cura non minor annis XXII. adsciscatur. Collegiatarum vero Dignitates eadem aetate conferentur: sed officia sine Cura ibidem existentia, ac cuncta Beneficia Simplicia sic dicta, nisi in aetate saltem XIV. annorum conferri nefas (13) habetur.

604. Excluduntur demum illegitimi Clericorum Filii a quocumque Beneficio in Ecclesiis ubi Parentes Beneficia possident, vel habuerunt. Filii vero legitimi, etsi nequeant in Beneficiis paternis immediate succedere, si alia post Genitorem persona intercesserit licite possunt illud obtinere; aliud autem dissimile habere in eadem

Ecclesia in qua Pater ejus ministraverat (14) neutiquam prohibetur.

605. Jure tamen nostro omnis generis, et qualitatis Beneficiorum intuitu Peregrinis, et Advenis Regni hujus interdicta remanet eorum collatio, vel institutio; (15) exceptis iis, quae pactis novissime conventis nominatim exclusa remansere.

TITULUS XXIV.

De Jure Patronatus.

606. In conferendis Beneficiis actu vacantibus, saepe Collatores ad nominationem aliorum, et praesentationem adstringuntur; provisiones itaque ubi fiunt non collationes, sed institutiones nuncupantur: et Beneficia de jure patronatus habentur.

607. Patronatus igitur est jus, seu potestas nominandi, et praesentandi Clericum ad Beneficium ecclesiasticum vacans obtinendum, cum aliquibus honoribus, et oneribus (1) eidem adnexis.

608. Jus patronatus dividitur in hereditarium, quod transit ad quoscumque heredes: in gentilitium si competit illis dumtaxat de tali Genere, vel Familia; et in mixtum, quando competit illis, qui sunt heredes insimul, et de Familia; (2) a Fundatore signata.

609. Jus quod Patronus habet nominandi,

et praesentandi aliquem ad Beneficium, dicitur activum: passivum vero competit aliquibus de tali Genere, Loco, aut Gradu; qui si canonica idoneitate potiuntur, necessario per Patronos nominari debent.

610. Jus patronatus itidem potest esse Ecclesiasticum, si de Bonis ecclesiasticis fundatum, et erectum fuit; aut licet a Laicis fundatum testamento donatione, vel alio quovis titulo ad Ecclesiam, Capitulum, Dignitatem ecclesiasticam (3) transfertur.

611. Laicale habetur jus patronatus quando constat de Bonis laicalibus jam fundatum, ad Laicos ejusdem praesentationem spectare; et uti tale in erectione approbatum, aliquem a patronis Laicis praesentatum (4) per Ordinarium institui.

612. Vocatur mixtum si fundatio facta fuit ex ecclesiasticis, et Laicalibus Bonis: aut si Fundator laicus limitative Laicis, et Ecclesiae insimul Patronatum jugiter concessit; vel quocumque alio solemni titulo ad Clericos, et Laicos (5) aequaliter attinet.

613. Jus patronatus, Ecclesiae fundatione, vel dotatione acquiritur: quod validis documentis, aut quadragenaria possessione, vel repetitis pacifice nominationibus probandum erit. (6) Suffragia vero ab Haeredibus per stirpes ferri debent; praeferendus autem Clericus a pluribus nominatus; (7) nisi exceptio aliqua in fundatione apposita adversetur.

614. In patronatu laicali quatuor indulgentur menses ad nominandum, et praesentandum; Regio tamen patronatu excepto, quod non comprehenditur sub quacumque reservatione, et nullum currit tempus ad praesentandum. In Patronatu vero ecclesiastico sex computantur menses a die habitae notitiae, (8) dummodo legitimum non obstet impedimentum.

615. In hoc autem differt ab ecclesiastico, laicus Patronus: quod iste intra quatrimestre nominationem nunquam pro se; sed pro aliis cumulative, ac successive variare potest; adeo ut Episcopus unum ex his eligat, et admittat.

616. Ecclesiasticus autem Patronus non sic: sed si unum praesentavit jure suo defunctus est, quamvis ab Ordinario Nominatus reputetur indignus. Ambo vero si intra praestitutum tempus nominationem neglexerint, eorumdem jus pro illa vice ad Episcopum, et successive post sex menses ad ecclesiasticos superiores, gradatim (9) devolvitur.

617. Transfertur jus patronatus haereditaria Bonorum successione ad quoscumque haeredes quolibet modo ipsi succedant: donatione pariter, sed Episcopi intercedente consensu; permutatione demum, ac venditione temporalium omnium Bonorum, quibus adnexum inseparabiliter (10) remanet Patronatus.

618. Si Patrono incumbit onus Ecclesiam, vel altare reficiendi, eorumque Bona, Reditus

io

tutandi, commodisque invigilandi, merito debentur ei quaedam honorifica jura, quae Patronis Ecclesia praestat.

619. Ideoque distinctam ibi sedem inter Laicos occupat: primus suffitur, aspergitur, in Processionibus antecedit, Gentis suae Stemmata ibidem appendit, aliaque hujusmodi; et si ad inopiam vergit suffragium vitae pro temporis usu percipiet: (11) ut in sequentibus duobus versiculis.

Patrono debetur honor, onus utilitasque.
Praesentet, praesit, defendet, alatur egenus.

620. Jus patronatus demum amittitur Ecclesiae; aut Beneficii extinctione, renunciatione, non usu, praescripta libere conferendi possessione, illius Rectoris per Patronum occisione, vel mutilatione, Felloniae crimine, ac etiam haeresi; sed haec juris exercitium suspendit donec ipse, vel haeredes ejus in Catholicae Ecclesiae communionem (12) non restituantur.

TITULUS XXV.

De modo, tempore, et forma conferendi Beneficia.

621. Quatuor potissimum modis Beneficia conferuntur; pe electionem, cum superioris confirmatione: per postulationem, si quis Canonico

detentus impedimento, comuni dispensationis invocatione eligi possit: per praesentationem, cum Ordinarii institutione, et per collationem, quando ab ecclesiastico Superiore libere, Clerico idoneo, (1) Beneficium confertur.

622. Summus autem Pontifex variis itidem modis Beneficia largitur.

I. Jure praeventionis, cum alicui confert gratiam expectativam ad Beneficium (2) primo vacaturum.

II. Jure concursus, si cum quolibet Ordinario concurrit in Beneficiis conferendis: (3) et tunc datur praeventioni locus.

III. Jure reservationis: prout habetur in Corpore juris, et in primis octo (4) Cancelleriae Regulis.

IV. Jure affectionis, quando in conferendo aliquo Beneficio pro ea vice collatio Pontificia locum (5) obtinet.

V. Et jure devolutionis, si per negligentiam Collatorum, praefixo tempore, (6) minime confertur Beneficium.

623. De his tamen modis omnibus jure novissimo praeventiones, reservationes mentales, mandata de providendo, et gratiae, quae expectativae dicuntur, (7) penitus recesserunt ab usu.

624. Reservationes vero in Corpore juris clausae passim in Christianis Provinciis locum obtinent: illae vero extra Corpus juris vagantes nec

omnes, nec semper nec ad literam receptae videntur.

625. Ecclesiastica Beneficia canonice conferri debent: nempe absque ullo vitio Conferentis, Recipientis, et formae.

626. Ut canonica dici possit collatio debet esse gratiosa, sine mercede, aut praetio (8) pura, absque pacto, subreptione, vel obreptione (9) libera, vi, metuque disjuncta; (10) et quoad Titulum, et fructuum Beneficialium perceptionem (11) indeminuta.

627. In hoc Regno Pactis novissime conventis Beneficia Simplicia, et Canonicatus Dignitatesque tam Cathedralium, quam Collegiatarum liberae collationis sex primis anni mensibus a Sancta Sede, et aliis sex mensibus ab Episcopis conferuntur; Prima vero earumdem Dignitas liberae collationis, Sanctae Sedis semper erit.

628. Sed si hujusmodi Beneficia liberae collationis Apostolicae Sedis viduitate perdurante in mensibus vacaverint reservatis, ad successorem Pontificem eorum collatio spectabit; aeque ac si Cathedra Episcopalis viduata existit, sive per obitum, aut translationem Episcopi, et eorum vacatio in mensibus Episcopalibus sortietur; neutiquam a Capituli Vicario, sed ab Episcopo Successore, illa quovis tempore (12) conferentur.

629. Quoad Paraecias autem liberae collationis, quae quovis anni tempore erunt vacaturae, praevio Concursu conferent eas Episcopi ex Apo-

stolico Indultu his inter approbatos, quos digniores judicabunt.

630. In illis vero juris patronatus ecclesiastici, praevio pariter Concursu, eos instituent Episcopi quos uti digniores jam approbatos Patronus ecclesiasticus praesentabit. Sed in Paraeciis juris Patronatus Regii, et Laicalis, Praesentatum instituent Episcopi, dummodo praemisso examine idoneus reperitur.

631. Ad Summum Pontificem denique earum Paraeciarum, quae in Curia vacaverint, aut quarum Parochi a Sancta Sede de aliqua Dignitate, vel Canonicatu provisi fuerint, Concursu coram Ordinario praecedente, collatio (13) Spectabit.

632. A Concursu formali excluduntur autem Vicariae perpetuae Paraeciarum Ecclesiis Titulatis unitarum, aut Monasteriis, vel Capitulis et Collegiis; sicut et Abatiae, Prioratus, Dignitates, et Canonicatus animarum Curam exercentes: nam de dignioris natura, et collatione, non jam inferioris, aut confusi Beneficii ratio haberi (14) debet.

633. Ecclesiae omnes, et quaecunque Beneficia intra uniuscujusque Diaecesis orbem existentia, in ejus Episcopi potestate comuni jure consistunt; nisi privilegio, fundatione, vel immemorabili consuetudine (15) exempta viderentur.

634. Ab Episcopis ergo non exempta Beneficia conferri possunt, dummodo sint vere vacan-

tia: alioquin collatio, vel institutio redditur nulla; sed intra menses sex collatio perfici debet: quibus negligenter elapsis, (16) ad proximum Superiorem statim devolvitur.

635. Si vacatio vero per renunciationem advenerit, infra mensem, universum admissionis, et provisionis negotium debet absolvi: cum renunciationis, et collationis publicatione intra tres menses a die sibi factae provisionis, sub nullitatis poena, et devolutionis insimul ad Sanctam Sedem, ut alio idoneo Clerico, ab ipsa Sede (17) Beneficium concedatur.

636. Forma demum, qua conferuntur Beneficia dupliciter concipi solet: motu proprio Collatoris: vel ad Beneficiarii petitionem. Locorum Ordinarii ad reprobandum ambitum quovis tempore odiosum Ecclesiae, ac grave, motu proprio sempre Beneficia conferunt.

637. Pontifex vero conferre solet aut in forma commissaria, vel in forma gratiosa. Primo modo Loci Ordinario mandatum datur, ut si dignum reperit Impetrantem, ei Beneficium conferat. Secundo modo plenum jus in Beneficium tribuitur Impetranti, et in forma gratiosa Collatio dicitur.

TITULUS XXVI.

De Renunciatione, et Permutatione Beneficiorum.

638. Renunciatio dicitur spontanea Beneficii ecclesiastici dimmissio, justa interveniente causa, per legitimum Superiorem probata (1) et admissa.

639. Beneficii renunciatio duobus modis perhibetur, vel tacite, vel expresse.

240. Tacita fit renunciatio absque verbo, aut scripto, sed actione aliqua renunciationem indicante, vel ex juris dispositione, per quam Beneficium amittitur, aut retineri non potest.

641. Habetur sic in alterius incompatibilis Beneficj assecutione: in Beneficiario, qui matrimonium contraxit: monasticam professionem emisit: militiam sequitur; aut publice mimicas (2) artes exercet.

642. Expressa expressis verbis vel scripto coram Superiore eam acceptante perficitur: quae absoluta vel conditionata esse potest.

643. Quando quis pure, et simpliciter Beneficium quod actu possidet in manibus Superioris dimittit, renunciatio absoluta dicitur: si pacto modo, ac aliqua intercedenta conditione, conditionata (3) nuncupatur.

644. Beneficiarii omnes tam majores, quam minores canonicum titulum habentes, Beneficia ex justis causis renunciare possunt: nempe infirmitate corporis: defectu scientiae: coscientia

criminis : irrecularitate personae : malitia Plebis : scandalo gravi; (4) quae his versibus continentur.

Debilis , ignarus , male conscius , irregularis ,

Quem mala plebs odit , dans scandala , cedere possit.

645. Beneficiorum renunciatio auctoritate propria fieri non potest, nisi in manibus legitimi Superioris jurisdictionem collativam , et destitutivam habentis : nunquam coram Laico , nisi ex Apostolico indultu , vel fundatione tale Beneficium conferendi , ac cessionem recipiendi (5) jus habeat.

646. Si vero in favorem alicujus fiet dimissio , vel sub conditione , stricto jure , Resignatio dicitur ; quae non aliter nisi a Romano Pontifice , vel Apostolicam facultatem habente recipitur ; ad Simoniam vitandam in hujusmodi resignatione contentam , quae per Ordinarium (6) purgari non potest.

647. Etsi Beneficia simpliciter , et absolute dimittantur , neutiquam licet Electoribus , aut quibuscumque Collatoribus verbo , vel nutu , aut signo futuros vacantium Beneficiorum successores , per Resignantes etiam hortatu designatos , admittere ; consanguineis autem, affinibus, vel familiaribus sive Collatore, sive Dimittentium Beneficia sic ejurata conferre, sub nullitatis poena (7) omnino vetatur.

648. Cum vero duorum Beneficiorum alterna

sequatur resignatio, per ecclesiasticum Superiorem probata, et admissa, Permutatio dici solet.

649. Ut Beneficiorum reciproca commutatio valida sit, ac licita, non privata Permutantium voluntate, sed ob necessitatem, et Ecclesiae utilitatem, auctoritate, et assensu legitimi Superioris perfici debet; alioquin Permutantes (8) alternis Beneficiis privabuntur.

650. Si vero de jure patronatus erunt Beneficia, vel unumquodque illorum existit requiritur itidem Patronorum consensus, eorumque ad quos eligendi, vel nominandi jus pertinet: alias irrita permutatio foret; sicut, et si justam contradicendi causam Patronus exposuerit, et detrectari censetur, nulla exinde redditur Collatio.

TITULUS XXVII.

De necessariis Beneficiorum vacationibus.

651. Beneficiorum vacationes vel a lege, vel ab homine proveniunt.

652. Vacationes a lege per sententiam a jure latam eo ipso locum obtinent, antequam declaratoriam Judex sententiam ferat; sine qua tamen nova sic vacantis Beneficii provisio non sortitur effectum.

653. Vacationes ab homine inducuntur quoties privationis Beneficii poena ob aliquod crimen a jure expressum, Beneficiario sententia infligi-

tur; postquam Beneficium vacare dicitur, et alio Clerico conferri potest.

654. Vacationes a lege triplici modo contingere possunt, scilicet de *jure* dumtaxat: de *facto* tantum; vel de *jure* simul et *facto*.

655. Si Beneficii possessio per quamlibet juris transgressionem eo ipso Beneficium infligentis detineatur, de jure solum vacare (1) dicitur.

656. Ubi vero quis idoneitate canonica imparatus, vel a Collatore conferendi potestatem non habente, reservati, vel affecti Beneficii collationem obtinuisset, de facto tantum (2) vacare intelligitur, etsi exceptiones a jure praescribuntur.

657. Cum autem ob causam a jure latam vacaverit Beneficium, et nulliter fuerit collatum ex parte vel Collatoris, vel Beneficiarii, de *jure*, et de *facto* simul (3) vacare censetur.

658. Ex variis fontibus ipso jure Beneficiorum vacationes obveniunt.

659. Ex desertione, vel mutatione Status Clericalis.

Vacant igitur Beneficia per matrimonium jam contractum: Regularem professionem: Militiae assecutionem, saevi laicalis Officii exercitationem; ac notoriam continuatamque Clericalis habitus, (4) dimissionem.

660. Ex neglecta Sacrorum Ordinum susceptione.

Cathedralium Canonicatus ideo sine Or-

dinibus sacris, et Parochiales Ecclesiae sine Sacerdotio obtentae, post annum (5) eo ipso vacant.

661. Ex Beneficiorum incompatibilitate.

Beneficia igitur promoti ad Episcopatum non titularem, continuo vacant: sicut, et primum Beneficium per pacificam alterius incompatibilis assecutionem; ac illud ab illegitimo Clerico, in Ecclesia ubi Pater ejus inservit, impetratum, vel a Clerico legitimo immediate (6) in Beneficiis paternis succedente.

662. Ex defectiva impetratione, ob irritantes clausulas Canonici juris.

Irritantur ergo Paraeciarum callationes non servata forma Concursus: Renunciationes, sive Resignationes, ac successivae provisiones Beneficiorum intra tempus a jure statutum non publicatae: Collationes subreptitiae, et orreptitiae; vel quoties conditiones sub clausula irritanti in Beneficiis impetrandis adjectae, minime (7) adimpleantur.

663. Ex nonnulis denique criminibus plenarie commissis Beneficiorum vacationibus eo ipso datur locus.

Talia sunt speciatim haeresis, schisma, simonia, Cardinalium, et Episcoporum realis offentio, assassinium, crimen nefandum, abortus, Clericorum ad Beneficia dimittenda coactio, duellum quoad provocantem, et provocatum, mortis effectu etiam non secuto: aliaque in jure facinora (8) expresse relata.

664. Ob atrociora crimina nonnunquam ab ecclesiasticis Judicibus privationis Beneficiorum poena irrogatur, sed in casibus tantum a jure permissis; verum si per judiciariam sententiam crimen reticeatur, non erit vacationi locus.

TITULUS XXVIII.

De Commendis, et Pensionibus.

665. Beneficiorum instar habentur Commendae sic dictae, quae ab Ecclesiarum viduitate, et Regularium Disciplina dilapsa, vario tempore, variis modis originem ducunt.

666. Antiquitus igitur vacantium Ecclesiarum Bona administrationis, et custodiae causa, saepius commendabantur: (1) novo temen jure etiam Monasteria praesertim illa in quibus Regularis vita obsoleta remansit, eodem titulo investiuntur; exceptis his, quae Capita Ordinum nuncupantur: Monastico vero existente Instituto, ex bonis sic commendatis, Mensae Abatiales sejunctae sedulo (2) conspiciuntur.

667. Duplicis generis Commendae videntur; perpetuae, ad Commendatarii vitam duraturae, et temporaneae, quae collatione peracta illico cessabunt.

668. Temporaneae ab Episcopis conferri possunt: quarum umbra in Paraeciis viduatis expe-

ritur; in reliquis autem Beneficiis jam recesserunt ab usu.

669. Perpetuae vero ex recepta Disciplina a Summo Pontifice, ob justam causam privative conceduntur, cum libera jurisdictionis, si qua sit, exercitatione, redituum administratione, ac dispositione: adeo ut provisi uti Beneficiarii, et Titulares perpetui recensentur: Bonorum alienatione (3) tamen penitus interdicta.

970. Commendae tamquam Beneficia perpetuo collatae reputantur, incompatibilitatem patiuntur: et si animarum Cura iis annexa videtur aetas annorum XXV. et Sacerdotium saltem a die collationis intra annum illud adipiscendum (4) omnino requiritur, nisi aliud in Apostolicis Bullis servari mandatur. Beneficia vero quamvis repetitis vicibus commendata, pristinam qualitatem non amittunt.

671. Nec aliter tandem de Pensione in re Canonica dicitur, cum sit redituum alicujus Beneficii, Superioris auctoritate delibatio, (5) alteri Clerico subministranda.

672. Etsi ab adolescentis Ecclesiae temporibus Pensiones assignatae leguntur id factum, ut ejecti de propriis Sedibus Clerici, vel senectute confecti, unde se exhiberent, nonnihil (6) habuissent.

673. Sed ne Pensiones tractu temporis in malam frugem irent, saepe in beneficiis liberae

collationis Episcopis (7) in reliquis autem Summo Pontifici earum dispensatio (8) reservatur.

674. Pro earumdem vero constitutione justa causa sententia Judicis probata, vel Superioris auctoritate suffulta intervenire debet; utpote Beneficii resignatio, aut permutatio: inter duos legitimos litigantes transactio: utilium Clericorum paupertas, aut aegra valetudo; vel respectu habito ad Ecclesiae servitium, excellentia meritorum.

675. In decerpenda Pensione Beneficii onera, et congrua Beneficiarii sustentatio sat adverti debent: ita ut tertiam redituum partem Pensio non excedat; sed in pecunia nunquam in fructibus (9) persolvenda.

676. Pensiones utcumque constitutae cessabunt morte Pensionarii, degradatione ab Ecclesiastico ministerio, haeresis, aut felloniae criminibus, Episcopi Dioecesani percussione, vel monastica professione, aut ipsius Pensionarii matrimonio (10) jam secuto.

677. In hoc autem utriusque Siciliae Regno Pactis novissime conventis abrogata solutione Tertii Pensionabilis sic olim dicti, Pensionum reservatio ad tramites Canonici juris perfici debet.

678. Excipiuntur tamen illae, quas Romanus Pontifex super quasdam Episcopales Mensas, et Abatias Regni hujus perpetuo sibi reservavit in summa ducatorum duodecim millium, pro tempore, suis subditis Pontificiae Ditionis (11) ad libitum conferendis.

679. Si forte demum super Cathedralium Ecclesiarum Bonis Pensiones erunt imponendae, ut earumdem liquidatio recte adhiberi possit, omnes Episcopatuum reditus in trinas dividantur portiones, quarum duae ducatorum trium millium ab omni onere immunes absque ulla diminutione ab Episcopis annuatim percipi debent. Quod vero superest, oneribus deductis, sive in totum, sive infrustra, ad Regis mentem, Pensionis titulo, Apostolicis Bullis praecedentibus, conferri posse (12) minime interdictum.

bandum brevissimus: quo peracto extemplo decernitur quod ex Probationibus (5) justum videtur, et reputatur.

685. Dividuntur etiam in Petitoria, et Possessoria. In illis de proprietate, aut alio jure experitur: in istis vero de possessione obtinenda, retinenda, vel recuperanda agitur dumtaxat; dominii juribus (6) semper salvis, et ad aliud Judicium exquirendis.

686. Judicia denique solvuntur si terminus intra quem commissa fuere, vel juridice expedienda erunt, jam expiravit; (7) sicut et suspensione, suspicione, revocatione, aut morte Judicis Delegantis, vel Delegati si res adhuc erit integra: aut si actio in rem transierit judicatam, vel executionem inappellabiliter (8) obtinuerit: In criminalibus vero morte rei imputati quaecumque Judicia perimuntur.

687. Quid quid de laicalibus Judiciis, tam civilibus, quam criminalibus juxta cujuslibet Regionis politiam habetur, Judicia ecclesiastica quoad res Beneficiarias, Regio Patronatu semper excepto, (9) matrimoniales Funerarias, Divini Cultus, et ecclesiasticae Disciplinae civiliter agitantur: criminaliter vero delictis et poenis ecclesiasticis, ad terminos Canonici juris, et Nomocanonum in hoc Regno vigentium circumscribuntur; de quibus inferius brevissime habebitur.

TITULUS II.

De Procuratoribus

688. Civiles actiones vel per se, vel per legitimum Procuratorem hinc inde in Judicio saepius promoventur, et discutiuntur.

689. Procurator est ille, qui alicujus mandato negotia generaliter aut specialiter aliena suscipit administranda. Quando igitur ab Universitate, vel Collegio constituitur Syndicus appellatur: a privato autem Domino, Procurator (1) nuncupatus habetur.

690. In re judiciaria quilibet majori aetate constitutus, Procurator ad agendum esse potest dummodo speciali non prohibetur ratione: uti sunt Foeminae, Milites, Clerici, Monachi, Excommunicati majores, nisi sui, vel propriae Ecclesiae, aut Monasterii, sive miserabilium personarum (2) necessitate cogente.

691. Pari modo, et aetate quilibet Procuratorem constituere potest, si non prohibeatur expresse. Jure igitur vetitum manet Pupillis, et Minoribus absque Tutoris, vel Curatoris auctoritate: sicut, et maxima capitis diminutione, aut majori excomunicatione irretitis quavis forma, et judicio. (3) Possunt autem Procuratorem duntaxat constituere ad se defendendum, vel si ab aliis in Judicio conveniuntur.

692. In cunctis civilibus Causis Procurato-

rem constituere licet : criminalibus vero semper exceptis, praeterquam ad illustris personae injuriam propulsandam, contra Accusatorem excipiendum, vel si de crimine discutitur, Judicium civiliter (4) experitur.

693. In quibusdam vero actionibus generale non sufficit, sed speciale requiritur Procurationis mandatum. Et ita habetur cum de suspicione Judicis agitur, de criminis, aut defectus contra Electum, vel Provisum delatione; aut in Causa restitutionis in integrum, vel matrimonii contrahendi; (5) pro quibus, alias de nullitate dicitur.

694. Procuratoris finitur officium si specialiter addictum reperitur, negotii, vel Judicii absolutione: generaliter vero constituentis revocatione, constituti renunciatione, mutuo partium consensu, vel alterutrius obitu jam secuto; (6) ne justa, et rationabilis ignorantia cuipiam damnum afferat.

695. Etsi Procurator sive ante, sive post litis contestationem revocari potest, donec autem revocatio ignoratur, Acta robur obtinent suum. Excipitur vero si ad matrimonium contrahendum Procurator specialis constituitur, et inde revocatur: nam matrimonium postea contractum quamvis revocatio ad Partium notitiam nondum pervenerit, ob consensus deficientiam (7) momenti nullius erit.

TITULUS III.

De Arbitris

696. Si per ordinarios Judices actiones jure discutiuntur, per arbitros quandoque comuni partium voluntate lites agitantur et expediuntur.

697. Arbitri proprie vocantur, qui judiciaria potestate carentes, litigantium consensu sive voluntario, sive necessario ad cognoscendas definiendasque lites in Judices extraordinarios eliguntur; et in quos etiam compromittitur, (1) ut eorum sententia executioni mandetur.

698. Arbitrorum genus duplex habetur. Nam alii ex necessitate, vel praescripto Legis constitui a Partibus conlitigantibus debent, et Necessarii dicuntur. Alii vero nuda partium voluntate concorditer eliguntur, et Voluntarii (2) nuncupantur.

699. Non parum igitur differunt. Nam arbitri necessarii ad expedienda ea, quae pro definienda causa requiruntur, a Lege jurisdictionem habent, et ab eorum Arbitrio appellari potest. Voluntarii vero nullam jurisdictionem obtinent nisi quantum Partes ipsae conlitigantes per Compromissum se obligarunt, et ad terminos juris, sub poenis jam conventis, (3) exeqni tenentur.

700. Illi qui actu Judices sunt sive Ordinarii, sive Delegati, vel jure haud obstante Compromisso Partium esse possunt, in Arbitros eligi non prohibentur. (4) Excluduntur ideo Foemi-

nae, Servi, Impuberes, Minores, Monachi, Excomunicati majores: sicut et in Spiritualibus ecclesiasticisque Causis Laici omnes (5) eligi vetantur.

701. Æque pariter omnibus actiones proprias, dummodo sano judicio rerum suarum plenam administrationem obtinent, compromittere licet. Pupillis igitur, et Minoribus, ac Interdictis, nec non Procuratoribus sine speciali mandato, simul ac Episcopis absque Capituli majoris Ecclesiae consensu, compromittere (6) interdicitur.

702. Sive in unum, sive in plures actio compromitti potest: et hinc conjunctim discutitur, et judicatur. Quando autem unus ex illis jam citatus adesse nolit, per interessentes Arbitros in Causa procedi permittitur, et si dissentientes evaserint, alium determinatum Arbitrum in judicando, si compromissam facultatem (7) habuerint, sumere fas erit.

703. Nonnullae tamen actiones, quae a jurisdictione proveniunt, aut publicum jus respiciunt judicium Arbitrorum effugiunt. Et ita in criminalibus, ac matrimonialibus, cunctisque causis majoribus Judicibus reservatis, restitutione in integrum, statu, et libertate tam civili, quam ecclesiastica nulliter compromissum, etsi juratum attenditur, (8) et actio frustra definitur.

704. Quamvis partium consensu Arbitri deliguntur, nullam tamen jurisdictionem habent: ita ut eorum sententia Arbitrium, et recensiori

vocabulo Laudum appellatur; et si receptum istud habetur, ordinaria Judicis potestate Compromissarii detrectantes, ad illud exequendum, servata forma juris, (9) compelli debent.

705. Compromissum, et Arbitrorum officium finiuntur Sententiae prolatione super iis de quibus compromissum fuerit: aut si terminus jure, vel compromisso praestitutus ante Laudi pronunciationem expiravit; sicut et Arbitrorum impedimento, suspicione, mutua renunciatione, conventae poenae acceptilatione, posteriori Judicio, vel transactione; ac demum morte cum arbitrorum; tum Compromittentium: nisi aliud per Compromittentes (10) statutum, aut signatum reperitur.

TITULUS IV.

De Civili Ecclesiastico Judicio.

706. Pro Causarum Civilium expeditione necessario requiruntur Partium coram competente Judice comparitio, litis contestatio, ac ejusdem Judicis Sententia legitime prolata: quae Processus essentiam constituunt, et ad quae coetera in Actis deducta referuntur.

707. Inchoaturus igitur civile Judicium Actor dummodo sui juris sit, et nulla laborat infamia primatim vel per se, vel per legitimum Procuratorem Judici, qui domicilio, re sita,

consensu, aut privilegio, rei foro praeest, libellum, (1) praesentat conventionalem :] ex quo plenarie de causa instruatur Reus conventus an cedere, aut contendere velit actionem excipiendo, vel negando; ideoque per Apparitorem eidem insinuatur vel personaliter, vel ejus domi, Exemplum illi relinquendo; quod, in jus vocatio (2) dicitur.

708. Vocatio ista ut sit legitima nedum explicitam citationis causam, sed Actoris, Rei conventi, ac Judicis citantis nomina continere debet sicut et locum tutum, ac tempus certum in quibus judicialiter Reus sistere (3) tenetur: ut in iis si quae adsunt exceptiones adducere possit. Et si Delegatus erit Judex, in citatione inserendum etiam Exemplum delegationis, (4) qua ei mandata Causa committitur.

709. Ex citatione rite peracta, Judex qui in jus vocavit competens efficitur: imo Delegatus suam firmat jurisdictionem, etiamsi Delegantis obitus acciderit: sicut et praescriptio obrumpitur ac litis pendentia inducta videtur; et cum res de qua agitur litigiosa pariter evadit, ad finem usque Judicii nil innovandum (5) permittitur.

710. Citatione juridice secuta, si intra peremptorium terminum citatus minime comparuerit, aut nullus pro eo legitimam praesentaverit responsionem, Actoris postulatione praecedente, incusantur Contumaciae: quo tempore si ad Citati absentiam excusandam nemo responderit,

uno Actore informante ad ulteriora, necessariis citationibus domi, aut per Edictum exequendis (6) Judicium procedatur.

711. Ob dilatam vero citationis notificationem, vel ob neglectam Contumaciarum incusationem citatio repetenda erit; sicut si Citatus contracta contumacia ante deffinitivae sententiae pronunciationem Judicio se sistet, refactis expensis cum audire posse (7) jura concedunt.

712. Quando autem Actor in termino jam praefixo contumax evaserit, in expensas nedum condemnatur, sed nec ad citationem, nisi praestita cautione renovandam admittitur; etsi post litis contestationem Judicium deserverit, per Edictum ubi opus fuerit vocatus Causam prosequi et expediri (8) non prohibetur.

713. Quamvis ex juris regula firmiter habetur, ut lite non contestata ad probationes, vel sententiam definitivam non procedatur, excipiuntur tamen Causae matrimoniales ubi in mora periculum exardescit, et Beneficiales itidem, ac Sacrorum Ministrorum electiones, ne Divinus Cultus, et Ecclesiae servitium detrimentum aliquod patiantur. (9) Actiones ideo, earumque adjuncta discutiuntur, et inde Causa in contumaciam expeditione mandatur.

714. Sed si Citatus Judicium effugere nolit si quas habet Exceptiones objiciet generales, aut speciales, prout sibi magis congruere videtur.

TITULUS V.

De Exceptionibus, et Litis Contestatione.

715. Exceptio in jure dicitur actionis, vel intentionis exclusio, qua Judicium aut sufflaminare, vel esse frustra (1) penitus contenditur.

716. Dividuntur ideo Exceptiones in dilatorias quae actionem, et Judicium differunt: et in peremporias quae obligationem tollunt, et causam omnino perimunt.

717. Ex eisdem igitur quaedam Judici, Actori, vel Reo convento: quaedam vero actionibus, et Causae qualitatibus (2) officiunt.

718. Ex Dilatoriis speciatim sunt incompetentia, vel suspectio Judicis: legitimatio, aut aliquod Actoris cum Civile tum canonicum impedimentum: litis alio pendentia, caeteraque qualitatis ejusdem (3). Ex Peremptoriis vero rei judicatae Sententia; actionis. extinctio, novatio, transactio, praescriptio, (4) vel santisfactio.

719. Judicis tamen est Exceptiones specifice objectas condicto die, Partibus conlitigantibus monitis, et auditis, discutere; ac decernere utrum adimplendae, vel rejiciendae sint: aut reservandae, sive ad merita Causae, sive in calculo ferendae Sententiae: ut eodem actu: vel divisim cum primordia actione; per definitivum dirimantur Decretum.

720. Vario tempore Exceptiones proponi de-

bent. Nam Peremptoriae quandoque ante latam Sententiam opponuntur (5) Dilatoriae autem inter Controversiae exordiae, et ante litis contestationem erunt opponendae, ac probandae, insimul, (6) juris ordine servato.

721. Excipiuntur vero illae, quae Anomalae in jure dicuntur, quia judicium retro redderent nullum ex defectu jurisidictionis, mandati, vel excomunicationis majoris alterius contendentis. Ideoque postquam Actor suam probavit intentionem, eas etiam adduci (7) permittitur.

722. Si reus autem aliquibus utitur Exceptionibus pro declinanda, vel perimenda actione contra ipsum proposita, Actori pariter fas erit replicationes objicere, suamque actionem confirmare; ita ut ad merita Causae, officio Judicis, ulterius procedatur.

723. Ubi vero alteruter litigantium interlocutorio Decreto se gravatum senserit, Nullitatum, aut restitutionis in integrum remediis uti fas erit: ac Appellationis etiam, si Decretum jam latum vim definitivam habebit.

724. Cuicumque in jus vocato, excomunicato majori semper excepto, quamvis Actorem in cunctis actionibus rite delatis coram Judice reconvenire licet: (8) excluduntur tamen spirituales Causae, ac etiam Criminales: nam reconventio Spiritualibus non officit, nec alterius delatione criminis, Rei innocentia purgationem, vel firmitatem (9) obtinet.

725. Sed si Reconventiones admissae reperiuntur, Judex etsi extraneus competens efficitur: (10) et Reus jus suum saepe consequitur.

726 Exceptiones postquam legitime discussae, ac rejectae videntur, ob Actoris petitionem, et concruam Rei conventi specialem responsionem litis contestatio jure perficitur, (11) qua in malam bona fides inducitur; actionum firmantur qualitates: dilatoriae praeciduntur Exceptiones, et Conlitigatores quasi ex contractu de judicato (12) conveniunt adimplendo; et ad facti controversi probationes expediendas, Acta gradatim dirigi debent.

TITULUS VI.

De Probationibus, et Judiciorum Expeditione.

727. Probatio in jure, cum sit rei dubiae per argumenta demonstratio, fieri potest intra Terminum jure delatum Partium litigantium confessione, interrogationibus ad Causam pertinentibus respondendo: (1) juridico fidedignorum Testium examine jurato super Articulis rite receptis; (2) Instrumentorum, et Scripturarum pro actione confirmanda exibitione: (3) juramenti sive necessarii, sive voluntarii officiosa praestatione; (4) juris, aut facti notorietate: (5) vehementi controversae

rei suspicione; (6) demum oculari (7) juridica inspectione.

728. Probationibus jam absolutis, in eodem Termino Repulsae, aut Objectiones, Testium examen ante jam reservatae, contradicta, vel scripta, eorumque adjuncta, et hinc, inde in Actis scripto deductae, argui, et objici possunt (8) quas Oppugnatores aut eodem actu, vel indicto tempore rite probare tenentur.

729. Causa demum sic instructa, ejusque meritis satis usque perpensis, ac Partibus conlitigatoribus monitis verbo, et scripto plenarie auditis, nil aliud restat, quam ut certo die, secundum allegata, et probata, per competentem Judicem Sententia proferatur: quae absolutionem ab impetitis, aut condemnationem continens, Controversiae finem imponit: si Appellatio, aut Nullitates non successerint; (9) de quibus inferius brevissime habebitur.

730. Pro coronide tandem advertatur, quod si Causarum gravitas pleniores postulat natura sua probationes, non jam Summario, sed Ordinario Ritu, ac ordine Judicium adhiberi debet; uti sunt validitatis Sponsalium, aut matrimonii Causae: Beneficiorum essentiae, vel qualitatis: Votorum professionis; aliaeque generis ejsdem et qualitatis.

731. Pro reliquis autem si ab Ecclesiastica jurisdictione dependent Summarie procedatur; imo summariissime si de animarum Cura conten-

ditur, vel sacri, sive Ecclesiastici Ministerii, aut Divini Cultus exercitio, quae spirituale detrimentum sedulo afferunt omnimode peragatur.

TITULUS VII.

De Criminali Judicio Ecclesiastico.

732. Pro criminalibus Causis ex Canonici juris dispositione per accusationem, aut denunciationem, vel Inquistionem Judicium in Foro ecclesiastico experiri mandatur.

733. Accusatio igitur est alicujus criminis delatio solemni praecedente inscriptione peracta (1) quae a cunctis fieri potest, dummodo speciali ratione non interdicitur.

734. Prohibetur ideo per aetatem Pupillis; per sexum Foeminis; per delictum Criminosis omnibus notoriis, eorumque sociis, et participantibus; et per conditionem Liberis, Monachis, Servis, et Familiaribus respective; (2) nisi suam, vel suorum injuriam prosequantur, aut laesae Majestatis cum Divinae, tum Humanae crimen (3) patefaciunt.

735. Omnes vero accusatores per se accusationem deferre tenentur, non jam Procuratorem Comunitatibus exceptis, quae ob numerositatem difficulter cohadunari possunt, et Judicio sisti; sicut et Pupillis, Minoribus, ac illustribus personis (4) si in causis injuriarum accusare velint.

736. Sed si non omnibus promiscue in vindictam accusare licet, Minister Promotor Fiscalis in Foro nuncupatus publicum accusandi munus exercet, ac indictas, una cum Accusatore, accusationes, vel ab ipso indicendas sustinet, et exquitur.

737. Alter modus in criminalibus instituendi Judicium est Denunciatio, qua secreto occultum crimen ad Ordinarium defertur, non ad poenam in criminosum infligendam, sed admonitionis (5) et correctionis causa.

738. In Denunciatione autem inscriptio haud necessaria redditur, quia ad correctionem, et emendationem instituta: nec denuncians delatum crimen stricto jure probare tenetur. Judex vero loco diffamationis eam recipit, et ad inquirendum ex officio pro rei veritate, vel criminis existentia, et Denunciati reitate Judicium nanciscitur.

739. Cum vero clamosa insinuatio ad Judicis aures pervenerit de aliquo crimine, quod sine scandalo dissimulari, aut sine periculo tollerari non possit, per Inquisitionem ex officio Judex, absque ullo accusatore privato, legitimum instituet Judicium.

740. Si specialis excitatur Inquisitio, facienda semper erit in eo loco ubi Facinus patratum dicitur: et ubi delatus contra quem inquirendum erit (7) domicilium habet, vel saepius conversatur.

741. Apud Nos autem si de haeretica pravitate, aut aliquo Ecclesiastico crimine quovis modo agitur neque citari, neque carceribus mancipari possunt Imputati praesertim Laici nisi prius per Sacr. Reg. Majestatem visis Fiscalibus Actis id concedatur; ac inde ordinario Ritu, satis instituto Judicio, et implorata denuo Regis venia, Sententia definitiva profertur, (8) et debitae executioni mandatur.

TITULUS VIII.

De Formą, et Ritu Criminalis Judicii Ecclesiastici.

742. Ex Decretalium jure sive accusatione, sive quocumque alio modo criminis delatio recipitur, audito Fisci Patrono, in adductum crimen inquiritur.

743. Pro recta Inquisitionis forma duo prae oculis necessario habenda erunt: delictum, nempe, jam commissum, et inde a quo patratum fuisse; ita ut illud delictum in genere, hoc vero delictum in Specie, Fori vocabulo, nuncupantur: (1) quae criminalis judicii fundamentum et esse constituunt.

744. Criminis in genere, sive corporis delicti probatio ita necessaria, plena, et exacta esse debet ut sine ea cum non potest dici verum

quod nunquam fuit puniendo Reo etsi confesso (2) nullus erit locus.

745. Corporis delicti genus duplex habetur: permanens unum, si vestigium aliquod criminis permanet, et tunc juridica Peritorum opera inspicitur. Quando vero Rei calliditate ejusmodi vestigia celata, vel deleta, aut pro criminis qualitate nulla supersunt per conjecturas, indicia, et adjuncta, crimen ad minus comprobari (3) videtur.

746. Criminis genere reperto, et probato, aut validioribus conjecturis satis indicato, quisnam, ubi, cur, quomodo, quando illud patraverit, ex fidedignorum Testium ore, congruis interrogationibus, et responsibus (4) juridice debet inquiri.

747. Sed sicut scientiae causa dictum, fama, suspicio, coeteraque rerum adjuncta scrutantur, et conscribuntur, quamcumque vero sugestionem (5) Judex evitare tenetur.

748. Ex criminis igitur genere, et ex testium speciatim in Reum dictis plena, semiplena, vel conjecturalis oritur probatio, quae Judicium dirigit, et futurae citationis formam, (6) deliberata ratione concludit.

TITULUS IX.

De Citatione, Custodia, et Defentione Reorum.

749. Inquisitionibus jam expletis, et Fisci Promotore audito, pronunciare Judicis est Reum citari ad deponendum, vel ad informandum simpliciter, et in gravioribus etiam capi: ac in Censurarum Judicio, ad dicendum causam quare in Censuras non incidisse; prout Causarum merita (1) gradatim postulaverint.*

750. In citatoris autem Literis necessario sunt exprimenda crimen per quod quisque vocatur: Judicis citantis nomen: Judicii locus ad comparendum indictus; ac congruus, et peremptoriis dierum terminus: quibus silentio praetermissis, a contumacia Reus excusatur, (2) et jure a multa condicta immunis habebitur.

751. Si capi de persona Reum decernitur, in Loco decenti penes episcopalem domum ad custodiam, et Judicii securitatem dumtaxat, non jam ad poenam subeundam (3) detrudi oportet. An vero idoneis Fidejussoribus, vel sibi ipsi sub mandato committi debet, aut simpliciter interrogationibus ipse responsurur erit ex Rei qualitatibus, et criminis gravitate dependet (4) omnino.

752. Accusatus rite citatus, vel captus ipsemet in judicio sistere tenetur, capitibus inqui-

sitionis suae responsurus non jam Procurator in criminalibus semper exclusus: nisi legitimas absentis excusationes allegaturus erit, (5) alias in contumaciam, ad poenam delato crimini praestitutam, Accusatus juridice damnabitur.

753. Apud nos autem excipiuntur Universitates, et plures quam decem de eodem crimine accusati, quibus omnibus alterius procuratione uti licet: dummodo de haeresis, aut lesae. Majestatis criminibus (6) minime agatur.

754. Reus in Judicio positus, vel sub mandato detentus, juridico examine constituitur: et Judicis interrogationibus super capitibus Informationis, Fisci interessente Ministro, pro rerum varietate statim respondere tenetur, (7) per seipsum, absque tamen juramento, sub Actorum nullitatis poena.

755. Verum si crimen objectum obfirmando negabit, et graviora in eum detegantur indicia, serio monitus ut veritatem patefaciat: (8) imo Testes iterato interrogentur, et confrontentur, speciatim si Rei nomen, et cognomen ab ipsis penitus ignorantur.

756. Absoluto Rei examine, Judicium solemniter contestatur inter Accusatorem, et Fiscum delatum crimen adfirmantes, et Reum firmiter negantem. Ex quo Testes antea examinati, citato Reo ad videndum juramenta eorum singulatim repeti debent addendo, aut declarando (9)

si aliquid ambiguum, vel non appositum deprehenderint.

757. Confirmatis Fiscalium Testium depositionibus repetitione vel spontanea Rei renunciatione, datur eidem Terminus ad se defendendum, et copia insimul totius Processus jam publicati super qua defensionis articulos ipse instruit, et Testes examinandos producit; accusatore, et Fisco rite citatis ut eorumdem Testium juramentum (10) videre possint: simul ac in Termino si probationes augere velint.

758. Testibus inde sive ad defensam, sive ad offensam juridice examinatis publicantur Acta. Verum si defectivas Reus noverit probationes suas, fas erit ei super eisdem articulis novas addere, aliosque Testes adducere; (11) Fisco autem, et Accusatori post defensionum pubblicationem non sic nisi de alliis, aut novis maleficiis Accusatores extiterint.

759. Quando demum post pubblicatas defensiones, instante Reo, Terminus datur ad Testium Fiscalium repulsam rite jam reservatam, etsi Fiscus, et Accusator Testes ad defensionem repulsare non possunt, tunc in eodem Termino dictorum, Testium repulsa, quatenus petita, eisdem pariter concedi poterit.

TITULUS X.

De Sententia, et Re judicata.

760. Probationibus ab utraque parte absolutis, et patefactis, criminali Causa verbo, et scripto integre discussa, ac perorata, Sententia denique ferri debet, criminis condemnationem continens (1) ad terminos juris, vel absolutionem.

761. Sententia una diffinitiva dicitur, interlocutoria altera. Illa condemnatione vel absolutione primordiam controversiam cum suis adjunctis finit, et perimit; ideoque corrigi, aut revocari vetatur. Ista vero aliquid emergens in judicii serie ordinat, et decidit; ex quo Causae resolutio pendet, et retractari potest: (2) nisi appellatio forte praecesserit.

762. Secundum Leges nedum, sed etiam secundum Acta, et probata, condicto die in scriptis, Judice pro Tribunali sedente, Sententia publice, coram Testibus pronunciari debet: qua Reus praesens aut saltem rite vocatus, si noxius, et convictus ad condignam poenam damnabitur: aut innoxius absolutionem perpetuo, vel in ambiguo ad tempus (3) obtinebit.

763. Post definitivae Sententiae pubblicationem quid quid judicatum fuerit, si ad appellandum fatalia inciderunt, executioni demandari potest: nam Sententia si condemnat, vel

absolvit, res judicata Judicium perimit, (4) et jus facit.

764. In nonnullis autem causis etsi appellatum non fuerit, rei judicatae auctoritate Sententiae carent; prout si falsis probationibus haerent, aut ab incompetente, vel corrupto Judice, sive contra jus aut Judiciorum ordinem (5) pronunciantur.

765. Cum Sententia in rem judicatam emerserit, intra tempus a jure statutum ejusdem executio habenda erit a Judice, qui illam protulit, et ordinariam jurisdictionem, vel a Summo Pontifice, (6) delegatam obtinet.

766. Pro exequendis autem canonicis Sententiis, cum in Contumaces vis aliquando adhiberi debet, Civilis ideo Potestatis auxilium imploretur, quo Sententiam executioni (7) mandari permittitur.

TITULUS XI.

De Appellationibus.

767. Rei judicatae firmitas in quibuscumque Causis saepius vel per oppositionem, vel per appellationem suspenditur.

768. Admittitur oppositio penes eumdem Judicem, qui sententiam tulit si Processus, aut Sententia nullitatis vitio insimulatur (1). Appellatio autem locum habet quando Sententia cen-

setur injusta, et illam a Superiore reformandam in melius dijudicabitur.

769. Appellatio igitur est provocatio ab inferiore ad Superiorem Judicem illati gravaminis ratione, ut is de Causa cognoscat, et latam Sententiam corrigere valeat.

770. In Judicialem, et extra Judicialem dividitur Appellatio: illa adversus Judicialem actum interponitur; ista vero per gravamen etiam extra Judicium illatum adducitur: et aliquando provocatio potius quam appellatio (2) dici potest.

771. Justa intercedente causa si ab interlocutorio decreto appellationis remedium adducitur, libellimus omnino debet afferri: (3) a definitiva vero Sententia lata etiam verbo, et sine gravaminis additione, dummodo Judex Sedem Tribunalis non reliquerit, et immediate post sententiae publicationem adducitur appellatio; aliter scripto (4) semper exigitur.

772. Etsi appellatio proponi potest tam ab interlocutoria, quam a definitiva Sententia, novissimo tamen Jure apud ecclesiasticos Judices nonnisi a definitiva, vel habente vim definitivae, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, (5) appellatio recipitur.

773. In Civili foro quamvis apud Nos infra tres vel quinque dies, Cononico autem jure infra dies decem continuos a momento secutae notificationis computandos, ab omnibus, qui

se gravatos esse existimant, appellatio interponi potest; (6) exceptis reis convictis, et simul confessis, aut per contumaciam, vel tribui conformibus decretis (7) judice damnatis.

774. Infra legitima tempora a jure statuta sub desertionis paena proponi, prosequi, et expediri appellationem oportet; (8) ex quo inferioris Judicis jurisdictio suspenditur: et quid quid ab illo, appellatione pendente, innovatum fuerit, per Judicem superiorem in pristinum reducitur (9) Causis censurarum exceptis, ac Pastoralis correctionis morum, in quibus devolutivus tantum non jam suspensivus (10) habetur effectus.

775. Appellatione ad proximum Superiorem Judicem interposita, Actisque rite trasmissis, de Causa ad terminos litis contestatae jam posita, ex integro sciscitari ceptabitur; ideoque Terminus praestituitur ad non posita ponendum, et non probata probantum utrique Parti comunis: (11) prout Judicii ratio postulat.

776. Novis probationibus hinc inde receptis, ac satis excussis, Partibusque plenarie auditis Sententiam pronunciat Judex, qua inferioris illa Judicis vel infirmatur, vel in totum, aut in partem confirmationem (12) obtinet.

777. Ex Juris dispositione autem nonnullae habetur Causae, quae appellationem non admittunt: uti sunt illae quarum Sententiae evadunt ipso jure nullae, vel ab incompetente Judice prolatae, aut si a competente contra tamen legitimum Judicii ordi-

nem instructae; (13) pro quibus excipiendis Nullitates proponere sufficit.

TITULUS XII.

De Criminibus et Delictis Ecclesiasticis.

778. Non omnia crimina, et delicta ab Ecclesiasticis commissa ecclesiastica dicuntur, sed illa dumtaxat, quae Fidem Catholicam directe offendunt, et Religionem.

779. Reliqua vero vel profana seu civilia, Fisci juribus semper salvis, nuncupantur: vel comunia sive mixta sic dicta videntur, Religionem et Civitatem insimul laedentia, quae omnia in Foro interno ab Ecclesia, spiritali clavium potestate coercentur, aut canonica satisfactione peracta, absolutionem consequuntur.

780. Primi generis igitur nempe Ecclesiastica habentur Apostasia, Haeresis, Schisma, Simonia, Sacramentorum nullitas, vel profanatio, et alia hujus generis conformia.

781. Eisdem pariter accensentur illicita Ordinum susceptio, iterata eodem die missarum celebratio, Sigilli Sacramentalis violatio, incompatibilium Beneficiorum simultanea retentio, munium Sacerdotalium despicatio, et similia: quia Religionem labefactant, ac Clericalem avertunt politiam, et abrumpunt.

782. Etsi pro quorumdam primi generis

criminum coercitione de jure Civili nonnullae poenae graviores, ac etiam capitales sancitae repeŕiuntur, excomunicationis, suspensionis, et interdicti, vel tandem depositionis remediis saepius utitur sancta Mater Ecclesia, quae mortem Filiorum suorum semper abhorruit: et nil aliud optat, nisi ut magis convertantur, et vivant.

783. Omissis ideo civilibus, et comunibus criminibus, ac delictis, quae Regni jure apud Laicum Judicem disceptantur, ecclesiastica dumtaxat libando discutiuntur; prout ex Canonicis Regulis eorum essentia desumitur, et pro quibus in Foro ecclesiastico privative Judicia (1) vertuntur.

TITULUS XIII.

De Apostasia, Schismate, et Haeresi.

784. Desertio sacrilega, latine defectio, vel Fidei, vel Ordinis vel Monasticae Professionis, graece Apostasia dicitur: quae si primi generis erit; violatae ac desertae Christianae Religionis facimus a jure (1) vocatur.

785. Quamvis antiquitus ad infidelitatem lapsi, aut relapsi Libellatici, vel Sacrificati sic dicti sevcrioribus poenis subjiciebantur, (2) ab hac severitate aliquatenus novo jure Ecclesia descivit: et secundum Apostasiae speciem lapsos poenis

canonicis afficit; ad desertam Religionem autem revertentibus, post condingnam poenitentiam absolutionem, et Catholicam comunionem largitur.

786. Latiori tamen notione Apostatae appellantur Clerici, qui ex sacris Ordinibus temere ad Saecularia vota se transferunt: aut Regulares professi, si vitam simul, habitumque Religiosum (3) notorie deserunt.

787. Schismatis vero nomine ex Canonicis Regulis scissio venit, et illicita discessio ab Ecclesiae comunione tam interna, quam externa ecclesiasticae Politiae causa (4). Nam si diu perseverat Schisma, aut novis doctrinis Ecclesiae unitas, vel Romani Pontificis Primatus convellitur, (5) cum Haeresi pari modo sociatur.

788. Pertinax autem christiani hominis voluntarius error in aliquo Catholicae Fidei articulo firmiter credendo, Haeresis definitur: ita ut ex Christianis, qui falsas, aut novas opiniones adversus ea, quae Divina fide credenda Catholica Ecclesia proposuit, impie gignit, aut sequitur, (6) pro haeretico semper habebitur.

789. Haeresis nota signatur etiam qui nedum de universa dubitat Christiana doctrina, sed si aliquem fidei Catholicae articulum in dubitationem adducit; sicut et qui de haeresis crimine suspicionem, aut levem, aut vehementem, aut violentam (7) satis praebet.

790. Quoscumque igitur Apostatas, Schismaticos Haereticos Christi fidem ejerantes, ab

Ecclesiae Societate ejiciendos Divina Lex praecipit; prout in omnibus Ærae Christianae Saeculis Conciliorum Decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus adimpleta firmiter, (8) et executa remansit.

791. Vario tempore, varias poenas contra eosdem fidem Catholicam sic ejerantes Civiles Leges praescripsere: (9) sicut in hoc Regno pariter sancitum reperitur; novissime vero exilii poena in eos (10) imponitur.

792. Ex Ecclesiae Regulis Apostatae, Shismatici, et Haeretici solemni anathema feriuntur, Christiana comunione, et Ecclesiastica Sepultura privantur; eorumque Descendentes, Decretalium jure, ad secundum consanguinitatis gradum, ab haeretica vero muliere ad primum usque, si Genitores emendati non fuerint, (11) ab Officiis, et Beneficiis arcentur.

793. Clerici autem si tales reperiuntur majorem excomunicationem simul, ac depositionem ab Ordine, Officio, et Ecclesiastico Beneficio statim incurrunt; et ea quae in re Ecclesiastica ab eisdem gesta sunt, nulla, irrita, et invalida esse (12) perhibentur.

794. Verum si poenitentia praecedente in Catholicam Ecclesiam revertentur, sacri Ministerii semper expertes, ad Laicam Comunionem dumtaxat admittentur.

TITULUS XIV.

De Simonia.

795. Maximum post haeresis crimen habetur Simonia, quae non est aliud nisi rei spiritualis, vel Spiritualibus adnexae cum pecunia, aut quavis re temporali permutatio.

796. Quamvis in priori Testamento crimen hoc repetitum legitur, a Simone Mago; (1) qui Spiritus Sancti dona ab Apostolorum Principe emere volebat, originem, et peculiare Simoniae nomen (2) obtinuit.

797. Simonia igitur ex adjunctis qualitatibus in mentalem, conventionalem, realem, confidentialem, et fiduciariam dividitur.

798. Mentalis dicitur cum nullum intercessit pactum, sed sola prava dantis, aut recipientis concurrit intentio; nec in actum (3) prorumpit externum.

799. Conventionalis si aliquid in posterum de dando Spirituali, et temporali recipiendo conventio, et tractatus verbis, aut signis dumtaxat declarata praecesserint pura vocatur: mixta vero quando ex una saltem contrahentium parte (4) rei conventae traditio jam executa videtur.

800. Sed si pactiones utrinque effectualae redduntur, ita ut spiritualibus, vel quasi jam datis, pecunia, aut aliquid aextimabile recipitur, realis tunc, et perfecta Simonia (5) efficitur.

801. Ubi vero Ecclesiasticum Beneficium pacto confertur, ut illius fructus alteri reddantur: aut Titulus tempore adveniente restituatur, novissimo Canonico jure, Confidentialis (6) vocatur.

802. Simoniaca labe afficiuntur etiam Beneficii resignatio, vel regressus ad idem, aut pensionis reservatio sine ecclesiastici Superioris facultate: aliaeque hujusmodi conventiones, quae Decretalium vote Fiduciariae dicuntur.

803. Quando igitur pecunia, aut res praetio aestimabilis pro rebus sacris, et spiritualibus, quae aestimationem non patiuntur pacscitur, vel traditur, semper Simonia committitur.

804. Spiritualia sunt Spiritus Sancti dona, Catholicae Ecclesiae Sacramenta, Sacramentalia, peccatorum, et censurarum Absolutio, Indulgentiarum impartitio, Votorum dispensatio, Ecclesiastica potestas, et jurisdictio, Ecclesiarum, et Sacrarum Virginum consecratio (7) Religiosa Professio.

805. Spiritualibus adnexa dicuntur illa, quae intrinsece spiritualia non sunt, eisdem tamen res spiritualis conjuncta videtur: uti Oblationes, Decimae, Ecclesiastica Sepultura, jus Patronatus, Beneficiorum praesentatio, electio, institutio, collatio, Altaria, Vasa, et Paramenta Sacra, ac Omnia Officia, et cuncta Ecclesiae ministeria, quae gratis Divino, Ecclesiasticoque praecepto, exequi, et impertiri (8) debent,

806. Tribus modis, nempe a manu, a lingua, ab ossequio, sic dictis, Simoniae crimen committi potest.

807. Committitur manu si pecunia, aut alia re temporali res sacra, aut eidem adnexa (9) obtinetur.

808. Obsequio committitur ob servitutem indebite impensam; nam servitia pro praetio (10) saepe apud homines aestimantur.

809. Lingua demum fit si quid Spirituale, aut quasi detur eis pro quibus quispiam rogetur: ita ut licet dignis conceditur, si gratia potius quam merito largitur, (11) Simoniace datum intelligitur.

810. Sponte vero oblata in rerum spiritualium, aut sacri minister ii administratione, si non dantur in eum finem ut Spiritualia cum temporalibus commutantur, aut per congruam sustentationem, vel laborem spirituali ministerio penitus extrinsecus offeruntur, recte accipi aliquando poterunt; (12) dummodo ab Ecclesia nec etiam sponte (13) oblata accipere permittitur.

811. Secundum varias Simoniae species variae incurruntur poenae, Speciatim a jure statutae.

812. In collatione Ordinum si crimen Simoniae intercesserit Ordinantes a quorumcumque Ordinum collatione, et Pontificalium usu suspenduntur, cum ingressus Ecclesiae interdictione (14) Ordinati vero praeter excommunicatio-

nem, suspensione pariter ab omnium suorum Ordinum, et executione (15) lato jure coercentur.

813. Beneficiorum itidem, et Officiorum Ecclesiasticorum Simoniaca collatio, institutio nulla omnino redditur, in valida: ex quo Simoniaci eorumdem Possessores ad fructus perceptos restituendos adstringuntur, et si alia possident Beneficia, illis spoliabuntur: imo ad cuncta ecclesiastica Beneficia obtinenda inhabiles (16) fiunt.

814. Quocunque tandem modo Simonia committitur, exceptis mentali, et conventionali, quae Deo judicandae relinquuntur, excomunicationis latae Sententiae poenam Simoniaci omnes eorumque mediatores incurrunt: aliasque jam dictas, si Clerici, poenas; Regulares vero vocis activae, et passivae privationem insimul, soli Romano Pontifici, pro cunctis poenis, et censuris (17) absolutione servata.

TITULUS XV.

De Poenis, et Censuris Ecclesiasticis.

815. Spirituales poenas, censurasque Canonicas infligendi potestas jure Divino (1) procul dubio in Ecclesia dimanat.

816. Ecclesiasticae poenae a Civilibus multum differunt: nam illae animarum, et Ecclesiae salutem respicientes, in emendationem, et exemplum instituuntur; istae vero temporalia Bona

auferentes in publicam vindictam, et ad laesum honorem Partibus sarciendum soepius irrogantur.

817. A privatione juris; et dignitatis dictae sunt etiam Censurae, quia per illas aut in totum ab Ecclesia delinquentes ejiciuntur, vel a sacro in perpetuum, vel ab tempus suspenduntur Ministerio: aut Sacramentorum, communium precum, aliorumque spiritualium Bonorum participatio ipsis interdicitur

818. Etsi antiquitus inter poenas, et censuras nulla habebatur distinctio, novo tamen jure tres tantum Excomunicationem, Suspensionem, et Interdictum stricte sic dictas Censuras esse (2) perhibetur.

819. Sicut ex Clavium potestate, quae in Foro externo exercetur Censurarum irrogatio promanat, eas tantum infligere illis licet quibus Ordinario, aut Delegato jure Ecclesiastica jurisdictio (3) in Foro competit exteriori.

820. Hanc igitur potestatem Censuras ferendi in toto Orbe, et contra quoscumque Baptizatos eminenter habet Summus Pontifex, tanquam Christi Vicarius in Terris: Cardinales in suis Titulis Episcopi, et Praelati omnes Episcopalem exercentes jurisdictionem: Capitulum Sede Episcopali vacante; ac Concilia Generalia, et Particularia, illa in universos, ista in sibi Subditos (4) dumtaxat.

821. Delegationis jure Censuras inferunt Legati per Summum Pontificem missi: Vicarii

Generales Episcoporum, eorumque specialiter Delegati: dummodo talis facultas Clericis non Conjugatis, et in Ordinibus constitutis committatur; nam Laici, Clerici uxorati, ac Faeminae etiamsi Abatissae, vel Praepositae hujus potestatis a jure Clavium obvenientis (5) incapaces redduntur omnino.

822. Ad Censurarum validitatem praeter legitimam potestatem, necesse requiritur ut ob culpam mortalem exterius commissam infligantur illae baptizatis hominibus graviorum criminum Reis (6) etsi Schismaticis, Apostatis, et Haereticis.

823 Cuncti vero rationis, et doli capaces esse debent: ac potestati eorum, qui censuras irrogant subjecti, Regularibus etiam minime exclusis, (7) quamvis ab Episcoporum jurisdictione exempti videantur.

824. Duplicis generis Censuras, vel a jure, vel ab homine Ecclesia semper adhibuit. Illae nempe in sacris Canonibus statutae videntur: istae vero per ecclesiasticos Judices juxta criminum contingentiam, irrogantur.

825. Crimen igitur ex dispositione juris Censuram habens adnexam, statim ac Delinquentes admiserint latae Sententiae Censura dicitur, Ferendae vero si Lex ita comminatur, ut Censura nonnisi post Sententiam Judicis criminosos afficere valeat.

826. Censurae a jure, vel ab homine latae si nulli reservabuntur, censurati Superior in Foro

exteriori eas penitus relaxat in interiori vero Confessarii omnes legitime Clavium potestatum exercentes absolvunt: pariterque Censuras illas cuicumque Superioris Reservatas si mortis articulum(8) extiterit.

827. Censurae demum, quae nominatim Romano Pontifici reservatae inveniuntur, et crimen eisdem adnexum publice innotescit, illi soli potestas extat absolvendi. Episcopis itidem si occultum habetur crimen; (9) exceptis semper illis quae sub speciali Pontificia reservatione signantur.

TITULUS XVI.

De Excomunicatione.

828. Separatio ab ecclesiastica Comunione recepto vocabulo Excomunicatio dicitur: quae in duas species Decretalium jure nempe majorem sive mortalem, et minorem medicinalem dictam revocatur.

829. Majori excomunicatione ab ecclesiastica Comunione, Societateque civili (1) abscinduntur Christiani. Minori vero, quae ob consortium cum Excomunicato vitando extra crimen habitum contrahitur, passiva Sacramentorum participatione (2) privantur.

830. Saepius in jure mortalis Excomunicatio Anathema vocatur: non majoris obstantiae vi,

sed majoribus diris, et execrationibus quibus judicialiter vel solemniter in graviorum criminum profertur Reos (3) qui Ecclesiam admonentem temere despiciunt.

831. Quoad effectus autem Excomunicationes multum differunt: nam Fideles minori excomunicatione innodati Electione passiva, et Sacramentorum receptione excluduntur; non jam ab Electione activa; Sacramentorum administratione quamvis illicita, et comuni arcentur (4) consortio.

832. Si vero mortali excomunicatione ligantur Christiani Ecclesiastica excidunt comunione, et fraterna separantur consuetudine: (5) ita ut eisdem os, orare, vale, comunio, mensa negatur.

833. Anathematismo autem obnoxii ab ipso Ecclesiae corpore rescissi remanent et avulsi: donec poenitentia, ac satisfactione praecedentibus publice absolutionis beneficio, in priores canonicae, ac politicae Societatis gradus revocati non fuerint.

834. Clerici vero majori excomunicatione irretiti ad Dignitates, et ecclesiastica Beneficia acquirenda inhabiles redduntur: imo jurisdictionis omnis exercitio spoliantur; et si de facto Beneficium obtinent; a fructuum perceptione, et Sacro ministerio sub restitutionis, et irregularitatis vinculo (6) pariter excluduntur.

835. Excomunicatio quae tam a jure, quam ab homine lata per criminis perpetrationem ipso facto incurritur, latae Sententiae nominatur:

quando vero etsi statuta in jure reperitur, non statim ac crimen committitur, sed a Judice infligi ut incurratur oportet, ferendae Sententiae dicitur.

836. Pro Excomunicationis validitate tria necessario requiruntur: nempe legitima Ecclesiastica auctoritas in Superiore excomunicante: peccatum grave, aut scandalosa contumacia in Christiano excomunicando; et solemnitates a jure Canonico praescriptae in Excomunicatione (7) ferenda.

837. Cum inter graviores Ecclesiasticas poenas Excomunicatio habetur gravissima, nonnisi in casibus a jure expressis sano judicio debet infligi: aliquando etiam in personas occultas, et incertas si commissi criminis ignorantur auctores; neutiquam vero in Collegium, vel Universitatem, (8) sed in illos dumtaxat, quos culpabiles esse constiterit.

838. Verum non omnes qui mortali Excomunicatione feriuntur pro vitandis haberi debent: sed ii dumtaxat, qui specialiter, et nominatim post legitimam Ecclsiastici criminis probationem ab Ecclesiastico Judice per Sententiam juridice latam excomunicati denunciantur; sicut, et notorii Clericorum, aut Regularium percussores, (9) si commissum crimen aliquo suffragio excusari, vel tergiversari non potest.

839. Illis autem qui cognationis, aut subjectionis officio, necessitate spirituali, vel tempo-

rali, reciproca utilitate, aut ignorantia adstringuntur cum Excomunicatis non toleratis agere non prohibetur; (10) prout in sequenti versiculo dignoscitur.

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

840. Ea potestate qua Excomunicationes inferuntur, earumdem absolutiones itidem pari auctoritate obtinentur.

841. Illae a jure vel ab homine latae per Superiorem cui specialis facultas adhaeret absolute, conditionate, ad cautelam, vel cum reincidentia (11) legitime relaxantur.

842. Sed si nemini reservatae ex eorum tenore videntur, quilibet Confessarius in Foro Sacramentali eas absolvere potest; sicut et quascumque quovis modo reservatas si periculum grave, ad terminos juris, aut mortis articulum intercesserint.

843. Quando autem Excomunicationes Summo Pontifici sunt reservatae, et publicae redduntur, ab illo dumtaxat absolutionis beneficium elargitur; in occultis vero possunt etiam Episcopi: dummodo expresse Pontificiam specialiter reservationem (12) non patiuntur.

TITULUS XVII.

De Interdicto.

844. Altera Fidelium segregatio ab aliquorum Sacramentorum administratione, Divinorum Officiorum celebratione, et Christianae Sepulturae usu in emendationem, aut contumaciam inflicta, Canonum voce Interdictum nominatur, (1) et ecclesiastica Censura perhibetur.

845. Si prohibitio in aliquo determinato Loco Divina Officia celebrandi, aut adversus certas personas ad ea peragendi, vel interveniendi ubicumque se contulerint versatur, in locale, aut personale, conjunctim vero mixtum sic dictum (2) Interdicti genus usuvenit.

846. Generale, aut Particulare itidem Interdictum haberi potest: Generali quidem Collegium, Populus, Civitas, Provincia, Regnum Sacrorum celebratione arcetur. Particulare vero si una pluresve personae, aut unum Altare, vel una Ecclesia ex multis eodem Loco sistentibus (3) Interdicto subjicitur.

847. Generalis Interdicti tempore recte administratur solemni Ritu Baptismus, simul ac Confirmatio. Admittuntur quoque ad Poenitentiae Sacramentum omnes Interdicti dummodo excomunicati non fuerit, aut causam Interdicto non dederint: quibus Sacramentum hoc in poenitentia decedentibus (4) non negatur.

848. Augustissimum autem Eucharistiae Sacramentum nonnisi mortis articulo intercedente Interdictis ministrari permittitur; sicut, et Matrimonii Sacramentum quovis tempore, absque tamen pompa, et nuptiali omissa benedictione, (5) si de canonica Sponsorum libertate constat.

849. Ad omnia Divina Officia quotidie ab Ecclesiasticis expedienda januis clausis, submissa voce, silentibus campanis celebrari fas erit; Excomunicatis, Interdictis nominatim semper ejectis.

850. In festis autem diebus Paschae, Pentecostes, Natalis, et Corporis Christi, ejusque Octava, Assumptionis SS. Virginis, ac illo Coenae Dominicae pro novo conficiendo Chrismate Divina Officia, Excomunicatis exclusis, solemniter celebrari coram omnibus Interdictis conceditur: qui si causam Interdicto dederint (6) ab Altare arceantur omnino.

851. Interdicto generali perdurante omnes interdicti ecclesiastica sepultura privantur, et sepelientes excomunicatione afficiuntur: eos autem qui nullam dedere causam Interdicto in Loco non interdicto sepeliri permittitur. Clerici vero innoxii in Loco etiam interdicto justorum autem solemnitate omissa rite (7) sepeliuntur.

852. Lajci Interdictum legitime latum violantes gravis criminis Rei evadunt: sed Clerici in loco interdicto scienter Divina Officia nominatim vetita celebrantes, irregularitatem incurrunt Summo Pontifici reservatam; sicut et Regulares

etiam exempti eadem poena feriuntur (8) si generale aut locale Interdictum non servaverint.

853. Interdictum denique si est ab homine latum ab eo tolli potest a quo fuit indictum; quando autem habetur a jure, ille quem. Lex praescribit relaxat, vel absolvit. Nam Interdicti effectus etsi appellatio intercesserit minime suspenduntur donec a Superiore ecclesiastico, cognita causa in totum, vel in partem Interdictum revocatur.

854. Postremo adverti debet ultra interdictum, a Divinis cessationem dari per quam ob grave admissum crimen jure statutum polluitur Ecclesia ubi Divina Officia eo. ipso celebrari vetantur.

855. Etsi inter Censuras non adnumeratur cessationis a Divinis violatio, pro gravi culpa semper habetur, sed absque canonicis alienatione; Regularibus exceptis qui excomunicationis laqueum incurrunt si in Ecclesia ubi a Divinis cessatur (9) scienter sacra peregerint.

TITULUS XVIII.

De Suspensione.

856. Si Clerico Ecclesiasticae potestatis exercitium ex Officio vel Beneficio promanans Dignitate semper salva in emendationem interdicitur,

ex Regulis Canonici juris Suspensio dicitur (1) et inter ecclesiasticas Censuras connumeratur.

857. Suspensio igitur ab Officio: a Beneficio dumtaxat; ab Officio, et Beneficio simul potest infligi.

858. Prohibet prima Sacramentorum administrationem: fructuum Beneficialium perceptionem impedit secunda; ad gerenda spiritualia, et temporalia Officii, et Beneficii tertia inhabilem reddit Suspensum. et potestate privat ecclesiastica; (2) Fidelium vero comunionem et laicam Sacramentorum participationem eidem neutiquam adimit.

859. In totum vel in partem, perpetuo vel ad tempus, aut certum limitando Locum Suspensio irrogari potest: qua Sacrum Ministerium, Officium ecclesiasticum, aut Beneficii reditus Clerici exercere, percipere, acervatim, vel disjunctive (3) vetantur omnino.

860. Sed cujuscumque speciei erit Suspensio, vel latae, vel Ferendae Sententiae habetur. Illa ex dispositione juris; haec autem monitione praemissa, per Judicis sententiam scripto demandatam, causam expresse conscribendo infligitur: (4) ne ab ingressu Ecclesiae per mensem, et Divinis Officiis suspensus ipse remaneat. Clerici vero si hujusmodi Exemplo eisdem tradito, et neglecto Ordines inde exercuerint (5) a canone fiunt alieni.

861. In singulis suspensionum sententiis tam a jure, quam ab homine latis, varios distinguere gradus oportet.

862. Suspensus ideo ab ordine Clericus, officii ministerium fructusque Beneficii retinet. A Beneficio suspensus ordines, et officium exercet. Ab Officio suspensus, reditus Beneficiales percipit, et Ordinis explet (6) ministeria.

863. Non omnis Suspensio pro Censura habetur: sed illa dumtaxat quae sine temporis limitatione irrogatur; nam si perpetuo, vel praefinito tempore ad delatum crimen coercendum infligitur, pro peculiari poena Clericorum propria, certo jure reputatur.

864. Pro Suspensionis absolutione si ab homine lata videtur, ille qui eam jure indixit eadem potestate relaxat. Quando vero ad praefinitum tempus, vel conditionaliter imposita fuit, elapso tempore, vel conditione adimpleta (7) statim expirat.

865. A jure autem inflicta si Romano Pontifici fuerit, vel Episcopo reservata, ab illo quoad omnes Clericos, ab isto in suos subditos dumtaxat (8) absolutio impertiri debet.

TITULUS XIX.

De Depositione aliisque Poenis Ecclesiasticis.

866. Inter gravissimas Ecclesiasticas poenas primum locum obtinet Depositio sic dicta; qua Clerici ob enorme crimen jam commissum Ordinum suorum, Divinorumque Officiorum exercitiis simul ac Beneficiis in totum, et perpetuo (1) spoliantur.

867. Etsi antiquitus nullum Depositionem inter et Degradationem discrimen videbatur, novo tamen jure verbalis exauctoratio per ecclesiastici Judicis Sententiam prolata Depositio accipitur: (2) coeremonia vero Episcopalis qua Clericus damnatus, vel depositus sacris vestibus suique Ordinis insigniis palam, et solemniter exuitur (3) Degradatio habetur.

868. Non parum discriminis inter utramque ex regulis Canonici juris intercedit. Nam simpliciter depositus, Clericalibus adhuc gaudet privilegiis: degradatus vero ea deperdit, et tamquam laicus in omnibus reputatur. Ille in Monasterium aliamve custodiam sub laica comunione, et ad poenitentiam perpetuo detruditur; iste in vindictam pro capitali scelere Laicae potestati (4) puniendus relaxatur.

869. Clericos minores sola proprii Episcopi sententia deponi jura permittunt: sicut et contra

Clericos in Sacris constitutos per Episcopum, seu Generalem illius Vicarium ad verbalem Depositionem; per seipsum autem ad realem Degradationem sic dictam procedere licet.

870. Adhiberi tamen debent tres saltem Episcopi, alioquin totidem Abates mitrae, et baculi usum habentes, sin minus tres ecclesiasticae Dignitates aetate graves, ac juris scientia commendabiles in hoc Episcopo assistentiam praestantes nominatim.

871. Pro reali peragenda Depositione Clericus Degradandus Ordinis sui vestimentis indutus et proprii Officii instrumentum in manibus tenens sic coram Episcopo ejusque assistentibus Exsecratoribus adducitur: qui singula ornamenta singulariter pubblice aufert; et ne ullum Clericatus vestigium remaneret, ad Clericalem delendam coronam postremo caput jubet ut radatur.

872. In omnibus his dira verba Episcopus profert opposita iis quae in Ordinibus conferendis pronunciantur: sententiam addendo qua Degradatus, Ordine, Privilegiis, Beneficiis exutus uti laicus Magistrato puniendus traditur. Verum ne capite periclitaretur, pro eodem instantius intercessio ab ipso Episcopo (5) demandatur.

873. Episcoporum vero exauctorationes etsi olim Provincialia Comitia consulte peragebant, rariora cursu temporis jam constituta, eo devenit ut Episcoporum causae tamquam majores Summo Pontifici reservarentur; inter quas eorumdem

tam verbalis quar realis Depositio (6) adnumeratur.

874. Depositionis poena utpote gravissima ob enormia tantum crimina quibus Clerici notorie indigni sacro Ministerio fiunt, realiter irrocari praecipitur.

875. Contra Clericos infligitur in haeresi, apostasia pertinaciter lapsos, Sacrorum Templorum incendiarios, laesae Majestatis, et assassinii reos, aut Sanctissimae Eucharistiae destructionem, furtum exequentes, aut sine Presbyteratus Ordine missam celebrantes, vel Sacramentales confessiones excipientes, aliaque sacra hujus generis crimina committentes; prout ab utroque jure sancitum (7) expresse reperitur.

876. In omnibus tamen capitalibus criminibus Episcoporum erit Ecclesiasticas poenas gradatim irrogare: ut ad respicientiam, et meliorem frugem criminosos Clericos reducere (8) possint.

877. Ad Degradationem vero eos dumtaxat damnare tenentur Episcopi si in nequitia obduratos, et incorregibiles agnoverint, aut enormitas criminis certo jure postulaverit: cum nil aliud habeatur quod exequi valeat; et sic ad laicae Potestatis judicium exauctoratos Clericos relinqui permittitur.

878. Pro coercendis tandem delictis quae Sacrum Ministerium labefactant, aut Ecclesiasticam Politiam subvertunt in Seminariis, Regularium Domibus., vel sub stricta aliquando custodia noxii clauduntur Clerici, aut in eos aliis poenis

Decretalium jure statutis convenienter agatur : (9) prout personae, loci, temporis, ac patrati delicti qualitates exegerint.

Deo adjuvante
Ad prima Canonici juris Rudimenta
Satis
Sub Apostolicae Sedis Censura.

AD CANONICAS INSTITUTIONES

PARERGA.

Cum in Remissionibus, quae in hoc Opusculo continentur soepius Generalium Conciliorum canones adnotati reperiantur, non parum utilitatis affert reminisci quo loco, numero illa celebrata fuere: isti vero a quibus, et quo Ærae Christianae Soeculo sanciti videntur.

Ad majorem igitur studiosae Juventutis profectum operae praetium ducitur Conciliorum Generalium Summam brevius addere, illius instar, quae in Vaticana Bibliotheca depicta perspicitur.

Habentur sic Fontes nedum quibus Ecclesiastica praecepta manarunt, sed ecclesiasticae Politiae variationes qua ratione Catholicae Ecclesiae Patres, et Jesu Christi in Terris Vicarii, Divino afflante Spiritu, sedulo obfirmarunt pro meliori frugi, et Spirituali Fidelium bono.

Nam in ecclesiae regimine si aliquid utile, et expediens advertebatur, supervacaneum esse in posterum, aut noxium experientia demostravit. Lucidiora praebent exempla Christianorum Agapae, Poenitentium Gradus, publica eorumdem Exhomologesis, poenitentialium Canonum praestitutio, Ministrorum electio, Beneficiorum collatio matrimoniorum celebratio, aliaque hujus generis instituta, vel commutata, aut deleta prout ratio, necessitas, utilitas suaserit.

Brevi denique verborum compendio Æcumenicarum Synodorum Series habetur inferius, quo memoriae facillime tradatur; et sic Regularum ecclesiasticarum Fontibus perlustratis, easdem custodire, et ab eisdem Canonici juris Candidati deviare nullatenus possent.

BREVIS

GENERALIUM CONCILIORUM EPITOME

I.

NICENUM I.

Æ. V. An. 325.
S. Silvestro Pont. Flavio Costantino
Magno Imp: *adstantibus* 318, *Episcopis*;
Christus Dei Filius Patri
Consubstantialis declaratur: *Arii impietas*
Comdamnatur: *Schisma extinguitur*
Meletianum; *et de Paschatis*
Die controversia
Finitur.

II.

Constantinopolitanum I.

Æ. V. An. 381.

Interventientibus 150. *Episcopis*,
S. Damaso Pont. Theodosio Sen. Imp.
Spiritus Sancti Divinitas
Propugnatur: *nefaria Macedonii*
Haeresis extinguitur;
Anomeorum, *Sabellianorum*, *Apollinaristarum*
Blasfemiae anathemati
Addicuntur.

III.

Ephesinum I.

Æ. V. An. 431.

S. Caelestino Pont. Theodosio Jun: *Imp.*
Episcopis 274. *interessentibus*,
Nestorius Christum purum
Hominem ex Virgine natum
Dogmatizans, *damnatur*:
Beatissima Virgo Maria Dei Genitrix
Praedicatur.

IV.

Chalcedonense

Æ. V. An. 451.

Convenientibus 630. *Episcopis*,

S. Leone Magno Pont: Marciano Imp:

Eutyches unam impie tantum

In Christo naturam asserens

Confutatur.

V.

Constantinopolitanum II.

Æ. V. An. 553.

Vigilio Pont. Justiniano Imp:

Episcopis 165. *interessentibus*,

De tribus capitibus contentiones

Sedantur: Origenis errores

Refelluntur.

VI.

Constantinopolitanum III.
Æ. V. An. 681.
Intervenientibus 289. *Episcopis*,
S. Agathone Pont.; *Costantino Pogonato*
Imp. Monothelitae unam
Tantum in Christo voluntatem,
Et operationem dicentes exploduntur.
Ectesi Eraclii, *et Typo*
Costantis Imp. Anathemate
Proscriptis.

VII.

Nicenum II.
Æ. V. An. 787.
Episcopis 350. *interessentibus*,
Hadriano I. Pont. Constantino Porphirogenito
Irenis Fil. Imp. impii
Rejiciuntur Ichonomachi:
Sacrarum Imaginum veneratio
Confirmatur.

VIII.

Constantinopolitanum IV..
Æ. V. An. 869.
Interveniențibus 109. *Episcopis*,
Hadriano II. Pont. Basilio Imp.
Ignatius Constantinop: Patriarcha,
Dejecto Pothio, *et anathemate*
Una cum 45 *Episcopis*
Notato, *in suam Sedem*
Restituitur.

IX.

Lateranense I.
Æ. V. An. 1122.
Episcopis 300. *interessentibus*,
Callisto II. Pont. magna de Investituris
Controversia jam composita,
Henricus Imp. V., *liberam*
Ecclesiasticarum Dignitatum electionem
Restituit.

X.

Lateranense II.
Æ. V. An. 1139.
Innocentio II. Pont. Corrado III. Imp.
Arnaldi Brixien haeresim
Condemnatur: Pseudopontificis
Anacleti II. et Schismaticorum Acta,
Praelatis fere mille assistentibus
Rejiciuntur.

XI.

Lateranense III.
Æ. V. An. 1179.
Alexandro III. Pont. Friderico I.
Imp. ab Episcopis 300. *Valdenses,*
Chatari, Patareni damnantur:
Laicorum Clericorumque mores
Ad pristinam restituuntur
Disciplinam; Torneamenta
Vetantur.

XII

Lateranense IV.

Æ. V. An. 1215.

Episcopis 412. *intervenientibus*,
Innocentio III. Pont. Friderico II Imp.
Damnata Albigensium haeresi,
Transubstantionis praecipue
Doctrina firmata,
Abat. Joachim, *et Almarici Carnot*:
Damnatur errores: *Bellum*
Sacrum de Palaestrina recuperanda
Decernitur.

XIII.

Lugdnense I.

Æ. V. An. 1245.

Innocentio IV Pont. Fridericus II.
Imp. hostis declaratur Ecclesiae,
Imperio privatur:
Interessentibus 140. *Episcopis*,
Consantinop: *et Antiocheno*
Patriarch: *insimul assisten*:
Pileus rubrus, *et Purpura*
S. R. E. Cardinalibus attribuitur:
Terrae Sanctae recuperatio
Constituitur.

XIV.

Lugdunense II.

Æ. V. Ann. 1274.

Gregorio X Pont. Rainulfo I Imp. Episcopis 500. *supra conventis, Spiritus Sancti processionem ex Patre et Filio, Graeci solemutter Confitentes, ad S. Rom. Ecclesiae Comunionem redeunt: Auxilinm Crucesignatis, Bellum In Syria gerentibus Statuitur.*

XV.

Viennense

Æ. V. An. 1311.

Clemente V. Pont. Henrico VII. Imp. Praelatis 300 *assistentibus, Clementinarum Constitutionum Codex promulgatur: Processio Solemnitatis Corporis Domini instituitur: Templariorum ordo supprimitur Reguardorum, Beguinarum Fraticellorum, Dulcinistarum haereses damnatur: Hebraicae, Caldaicae, Arabicae, Graecae Linguarum Studium Praescribitur.*

XVI.

Florentinum

Æ. V. An. 1439.

Eugenio IV. Pont. Alberto II.
Imp. 141 *intervenientibus*
Episcopis, una cum Constantinopolitano
Patriarcha, et Ioanne VII. Paleologo
Greaci Imp. Æthiopi, Armeni,
Graeci ad Fidei unitatem
Redeunt.

XVII.

Lateranense V.

Æ. V. An. 1512. *ad* 1517.

Julio II. et Lecne X. PP. Maximiliano I.
Imp. 114 *convenientibus Episcopis,*
Pro Schismate extingnendo:
Disciplina instauranda: facienda
Principum concordia: et Expeditione
Adversus Turcas suscipienda
Celebratur.

XVIII.

Tridentinum
Æ. V. An. 1545. ad 1563.
Paulo III. Julio III. Pio IV PP. et
Carolo V. ac Ferdinando I. Imp.
Episcoporum 255. subscriptionibus
Lutherani, Calvinistae, eorumque
Sequaces damnantur:
Nonnulla Fidei Dogmata adversus
Novatores haereticos firmantur:
Cleri, Populique Disciplina,
Simul et Ecclesiastica.
Politica, ad pristinos mores
Restituitur.

AD GENERALIUM CONCILIORUM SERIEM. MANTISSA

§. I.

Nonnulla Concilia, quae Generalia saepe dicuntur, cum ab Apostolica Sede in partem fuerint reprobata: vel in totum satis usque rejecta, imo proscripta simul et damnata, inter Generalia minime computantur. Primi generis igitur habentur.

Pisanum

Æ. V. An. 1409.
Ruperto cognomine Parvo Imp.
Ab utriusque Obedientiae
Cardinalibus Gregorii XII. et Benedicti
Sic dicti XIII. indictum,
Episcopis 206 *assistentibus,*
Alexandri Papae V. electione
Pseudo pontificium Schisma
Sopitum non extinctum
Videtur.

Constantiense

Æ. V. An. 1414. ad 1418.
Joanne XXIII. Pont. Sigismundo
Imp. 203 Episcopis interessentibus,
Quoad Schisma extinguendum, et
Haeresum Wiclefi, Io. Hus, Hyr. de Praga
Anathema a Martino Papa V.
Conciliariter receptum,
In reliquiis rejectum
Habetur.

Basileense

Æ. K. An. 1431.
Sigismundo Imp. Martini Papae V.
Jussu antea indictum, variato
Episcoporum numero, Consiantien
Synodi Placita renovantur: Laicis
Utriusque Speciei in Eucharistia
Usus interdicitur: Conceptionis
B. M. V. Festum instituitur. Ab
Eugenio IV. Pont. XXV. tantum
Admittuntur Sessiones: XX vero
Tamquam Acephalae nullitati
Subjiciuntur.

§. II.

Secundi generis, sive Pseudoconcilia Generalia ab Ecclesia Catholica firmiter rejecta leguntur.

Mediolanense
Æ. V. An. 355.
Episcopi fere 300. *Liberii Pont:*
Auctoritate interessentes,
Damnatione Divi Athanasii
Subscribere ex ipsis nolentes,
Constantii Imp. jussu dire
Vexantur Recusantes, multantur;
In exilio una cum Pontifice
Abripiuntur.

Sirmiense
Æ. V. An. 357.
Liberio Pont. Constantino Imp.
Praesentibus 400 *plusquam Episcopis,*
Magna ex parte Arianis,
Qui duas Fidei Formulas, ut
Catholicos illuderent Antistites,
Latinae, Graece, edidere, voce
Omousion
Penitus omissa; ex quo in Ecclesia
Turbae, Interdictiones, Tormenta
Manarunt.

Ariminense

Æ. V. An. 359.

Liberio Pont. invito, Arianorum Opera coactum, 400 assistentibus Episcopis, ex quibus Constantium Imp. in Oriente multi Proseguentes, Arianorum Fidei Formulam Reliqui Valentem, Ursacium, Sociosque damnarunt: Tormentorum inde metu Approbare, absolvere Coguntur.

Ephesinum

Æ. V. An. 449.

A divo Leone Pont. licet indictum, Dioscori Alexandrini impietate Ecclesiasticus violatur Ordo: et Pontificiis obstantibus Legatis, Eutychetis confirmatur haeresis: Flavianus Constantinop. Patriarcha Damnatur, Fustibus Occiditur

Trullanum

Æ. V. An. 692.

Justiniano Juniore Imp.
Pro Ecclesiasticae Politiae Canonibus
Edendis; in Trullo Imperiali
Congregatum 211 *Episcopis*
Interessentibus: a Sergio I. Pont.
Rejicitur; unde Synodus erratica
Vocatur.

Constantinopolitanum

Æ. V. An. 754.

Constantini Copronimi Imp. jussu,
Episcoporum 328 *interventu,*
Pro Hiconomacha haeresi firmanda
Peragitur: a Stephano III. Pont. plenarie
Damnatur.

Constantinopolitanum

Æ. V. An. 861.

Michaele III. Graec. Imp. Legatis
Nicolai I. Pont. et Episcopis
Intervenientibus 318. *terrore*
Injecto, subscribere coactis,
Photii calliditate, Ignatius
Ccnstantinop. Patriarcha
Per vim ejicitur; unde
Latrocinale Concilium
Vocatur.

Constantinopolitanum
Æ. V. An. 879.
Basilii Maced. Graec. Imp. jussu
Ab Episcopis 383. *celebratur* :
Photius Ignatio C. P. mortuo
Restituitur : *VIII OEcumenicae*
Synodi Placita infirmantur :
Ad Apostolicam Sedem
Intercipiuntur Appellationes ;
Ex quo Graecorum Schismatis,
Quod adhuc durat, *Exordium*
Recognoscitur.

INDEX

TITULORUM CUM SUIS REMISSIONIBUS.

LIBER PRIMUS.

Remissiones. (1) L. I. D. de justit. et jure can. Canon. I. et can. Regula 2. Dist. III. cap. Canonum. I. et cap. Ne innitaris 5. de Constit. cap. Jus. 12. de verb. signific.

(2) Div. Paul. epist. ad Ephes. cap. II. v. 19. et seq. epist. ad Galath. cap. VI. v. 16.

Remissiones. (1) Psal. IV. v. 7. Psalm. XI. v. 7. Deuteronom. cap. IV. et cap. XII. epist. ad Rom. cap. II. v. 15. can. Jus naturale 7. Dist. I.

(2) Oseae cap. XII. v. 10. Luc. cap. II. et cap. XXIV. v. 27. D. Petri epist. I. Cap. II. v. 15. et epist. II. cap. III. v. 2. D. Pauli epist. ad Timoth. II. cap. III. v. 14. et seq. Conc. Trident. sess. IV. Decr. de Canonic. Script.

(3) Matth. cap. V. v. 17. Lucae cap. XVI. v. 17.

